TOMVS SECVNDVS

Assertio Dogmatis de Primatu Jurisdictionis in universum Orbem a D.N.J.C. Romano Pontifici tradito in Beato Petro Apostolorum Principe.

APPROBATIO

Opus, cui titulus „ Assertio Dogmatis de Primatu jurisdictionis in universum Orbem a D.N.J.C. Romano Pontifici tradito in Beato Petro Apostolorum Principe„, mandante Rmo P. Thoma Vincentio Pani Sac.Pal.Apostolici Magistro, accurate perlegi. Auctoris Viri Cl. D. Septimii Costanzi S.T. Doctoris non minus doctrinam, & eruditionem miratus sum, quam zelum, & sollicitudinem impense probavi, qua ad Catholicam Unitatem, & necessarium salutis portum, plena modestiæ charitate, miseros illos reducere studet, qui extra Petri naviculam, tamquam naufragi, reciprocis variorum errorum fluctibus obruuntur, & pereunt. Hic porro singularis illa potestatis plenitudo, quam in Apostolicæ Cathedræ Principatu Christus perpetuo vigere voluit, omnis generis monumentis, atque ex omnis antiquitatis memoria petitis, Synodorum definitionibus, Patrum in idem conspirantibus sententiis, omnium gentium vocibus illustratur, & confirmatur. Quapropter Opus idem, in quo nihil certe Orthodoxæ fidei, aut bonis moribus adversum deprehendi, sed omnia potius opportunissima æque, & efficacissima tum revocandis Dissidentibus, tum quoque augendæ in Nostris erga Sedem Apostolicam, eumque qui ei Sedi præest, Romanum Pontificem, communem Christianorum Patrem, & Pastorum omnium Pastorem reverentiæ, & obedientiæ, publicis Typis dignissimum censeo. Ex Ædibus S.Mariæ Magdalenæ die 7. Junii 1807.

Michael Angelus Toni Præpositus Gen. Regular. Ministrantium Infirmis S.O. Consultor.

IMPRIMATUR

Si videbitur Rm̃o Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro

B.Fenaja Patriarcha Constantinop. Vicesg.

IMPRIMATUR

Fr. Joannes Baptista Chiesa Ord. Præd. S. P. A. Magist. Socius.

SCHEMA
TOTIUS OPERIS

PROŒMIUM

PROPOSITIO PRIMA

Probatur Primatus S.Petri ex Liturgiis, Officiisque Ecclesiasticis Ecclesiæ Orientalis

Respondetur aliis Objectis contra Primatum S. Petri prolatis

PROPOSITIO SECUNDA

Sancta Apostolica Sedes, & Romanus Pontifex in universum Orbem tenet Primatum: Ipse Romanus Pontifex B. Petri Successor est, Verus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiæ Caput, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi Universalem Ecclesiam a D.N.J.C. plena potestas tradita est

Prolegomenon ad probationes ex SS. Patribus

Probatur SS. Patrum auctoritate & Traditione Primatus jurisdictionis Romani Pontificis in universum Orbem

Probatur Primatus jurisdictionis Romani Pontificis auctoritate Oecumenicarum Synodorum.

Probatur Romani Pontificis Primatus ex consuetudine, qua ipsi in universum Orbem, nemine contradicente, jurisdictionem exercuerunt.

Primatus idem probatur ex Divinis Liturgiis, Officiisque Ecclesiæ Græcæ.

Probatur Primatus in universam Ecclesiam tum S. Petri, tum & Successorum Ejus in Romana Sede ex Traditione, ac Divinis Officiis Ecclesiæ Armeniæ

DE SANCTO PETRO APOSTOLO

DE ROMANO PONTIFICE SUCCESSORE S. PETRI, EJUSQUE PRIMATU.

Respondetur iis, quæ objiciuntur.

PRÆMONITIO

Deo Nostro honor, & imperium sempiternum. Amen.

Quod Catholica Ecclesia in Apostolis a Christo Divino Servatore Nostro audivit, & per Apostolos a Christo accepit, id docuit semper, docebitque in sæcula, secundum Ipsius Domini mandatum: „ *Quod in aure auditis, prædicate super tecta* „ (*Matt.* 10.27.). Hinc Ipsius filii, maxime Sacerdotali munere fungentes, de gloria solliciti Matris suæ, quæ eos spiritualiter concepit, ac parturivit, non destiterunt umquam, prout necessitas, & occasio ferebat, sacrosancta fidei Catholicæ dogmata defendere verbis, scriptis, sanguine etiam effuso. Ita factum est, ut ab hac fide quicumque dissentiat gloriari nusquam possit (quamvis non esset bona gloriatio ejus) dicens, vel Ecclesiam circa dogmata, quæ tenet, tacuisse aliquando, aut tacere, quasi de propria causa diffidentem; vel sivisse, aut sinere, illos, qui exierunt a nobis, sed non erant ex nostris, triumphum agere, ac si adversus nos præscriptum fuerit; quum imo e diverso Catholica Ecclesia dudum jam præscripserit adversus Dissidentes, sicuti *in Proœmio præsentis Opusculi*, Deo adjuvante, sumus probaturi; vel denique ex Ecclesiæ ejusdem filiis neminem esse, qui Dei causam gerendam, defendendam suscipiat, & zelo zelare velit, aut possit gratia Divina adjutus pro Domo Dei, ac Sancto, & terribili Nomine ejus.

Certe; multi fuerunt a sæculis, qui pro fidei Catholicæ veritatibus gravissimis, atque sanctissimis, sollicitudinem, labores, sudores, patientiam, editis doctissimis, ac luculentissimis scriptis, impenderunt. Sed (proh dolor maximus cordi meo, penetrabilior omni gladio ancipiti!), si aliquando fructum laudabilium operum suorum, Deo cooperante, retulerunt, is non pro votis fuit, aut vero nonnumquam factus est temporaneus, cum Nationes plurimæ nunc Dissidentes, quas Sancti etiam Viri lumine Evangelii, & sacra illustrarunt doctrina, ad tempus crediderint, sed in tempore tentationis recesserint.

Sane; quemadmodum incredulitas multorum fidem Dei non evacuabit (*Rom.* 3. 3.); *ita Deus verax est*, unaque *miserator*, *&* *misericors*, *patiens*, *&* *multæ misericordiæ* (*Ps.* 85. 15.). Quemadmodum igitur Eliseus, fide in Deum fervens, ac spe, charitateque magna motus, ut mortuo puero Sunamitidis vitam Divina virtute restitueret „ *oravit ad Dominum* . . . . *& incumbuit super puerum* „, ex quo „ *calefacta est caro pueri* „; dein iterum „ *incubuit super eum*, *& oscitavit puer septies*, *aperuitque oculos* „, unde Propheta sanctisimus restituit illud vivum Matri suæ (4. *Reg.* 4. 34. *seqq.*): Ita ego novissimus omnium, qui fuerunt ante nos nedum ex Latinis, sed & ex Græcis, atque Orientalibus Nationibus, quique virtute, ac doctrina clarissimi ante me scripserunt, quorum non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum, Dei auxilio, ac bonitate fretus, cujus misericordia circumdat sperantem in se, Græcos simul, Protestantes, ac Heterodoxos, quotquot sunt, alloqui statui; & sacrorum Catholicæ fidei dogmatum veritates, quantum homini fas est, asserere, ut omni animæ satisfaciam de ea spe, quæ est in nobis. Novi, quod Deus, qui Pater est omnium, qui pro sua pietate stat ad ostium cordium nostrorum, & pulsat, neque semel tantum, aut bis, sed jugiter vult congregare filios suos sub alas, convertens corda multorum; & Ipse ministros suos „ *super muros Jerusalem constituit custodes*, *qui tota die*, *& tota nocte in perpetuum non taceant* „ (*Isaj.* 62. 6.), qua de re ipsis præcipit „ *Clama*, *ne cesses*, *quasi tuba exalta vocem tuam* „ (*Isaj.* 58. 1.). Itaque & ego clamabo in tuba Domini, incumbam super eos, qui ab unitate Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ discedentes erraverunt a fide, miserrime perierunt, ac mortui sunt, ut oscitent & ipsi septies, atque eos vivos reddam Matri eorum, quæ jugiter plorans plorat super mortuos filios suos.

Ad Græcos Dissidentes illuminandos (quoniam non uno ipsi in errore versantur), & simul in viam salutis vocandos, Opusculum „ *De Processione Spiritus Sancti a Patre*, *& Filio* „ novissime scripsi cui „ Exhortationem „ præmisi, iterum ab eis legendam. Nunc vero nedum ad Græcos ipsos, sed & ad modernos inter Latinos Dissidentes

convertitur ea, quæ „ *De Primatu jurisdictionis Summi Pontificis in universum Orbem* „ præsens est *Assertio*. In hac, Divino beneficio adeo invictis argumentis probaturus sum dogma, de quo res est, ut nullus poterit quicquam respondere firmum, ac validum, neque ullo modo contradicere, nisi voce quondam a quibusdam prolata „ *Recedant a nobis veritates Dei, scientiam viarum ejus nolumus* „ Sed impii hæc est impia sententia (*Job.* 21. 7. 14.).

Ecclesiæ Catholicæ fides (sicuti ostensuri sumus) depositum Divinum est a Christo Jesu Domino Apostolis consignatum, ab istis Ipsi creditum, ab Ipsa fidelissime custoditum: Ab Ecclesia eadem præscriptum est dudum, unde Dissidentes nil queunt contra ejus fidem proferre. Ad hæc: Videant, qui contra nos sunt, quæ sint initia fidei, quam tenuit, & tenet Catholica Ecclesia; nempe quod ipsa tenet illud unum est, *quod ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit* „ ut profunde disserit *Tertullianus de Præscript. cap.* 21.: Considerent ex adverso, infelicissima fuisse principia novæ illius doctrinæ (hoc est hæresum), quæ ab auctoribus suis in agro Dominico superseminata in medio tritici, in causa fuere, cur ab Ecclesiæ sinu divulsi peregre ipsi proficiscerentur abeuntes in regionem longinquam. De hoc argumento firmissimo prolixius loquimur quoad Græcos *in Proœmio hujus Opusculi*; ac locuturi sumus, Deo dante, quoad Protestantes, aliosque eorum consortes *in singulari Appendice*. Inde ad alia rem ipsam intime respicientia *in Probationibus* gradum faciemus. Ast liceat hic pauca raptim præfari, ut e vestigio constet, miserrime eos terga vertisse Ecclesiæ, ac Patrum scita deseruisse.

Quum nihil solidum, nihil verum opponere ipsi possint dogmatibus Ecclesiæ Catholicæ, quæ Verbo Divino scripto, ac tradito, multisque fulciuntur theologicis rationibus, provocant ad convicia. Etenim *Photius* amara verba in Latinos conjecit; ac Græci Dissidentes ajunt „ *Latini Canes* „; Lutherus autem Laicos Principes Epistolis hortatus est ad excutiendum *Papale*, ut ajebat, *jugum*, ediditque execrabilem *Librum*, cui *Captivitatis Babylonicæ* titulum indidit, in quo furiis abreptus Summum Pontificem, & Catholicam Romanam Ecclesiam mordet, dilacerat, ac pluri-

mis injuriis, & calumniis insectatur; neque his contentus, per *Philippum Melanctonem* sibi addictissimum *Apologiam* concinnavit, cui titulum præfixit „ Adversus furiosum Parisiensium Theologorum Decretum „, in qua de Facultate Theologica Parisiensi prophano ore dixit „ Pro-
„ phetatum est, temporibus Antichristi omnes hæreses in
„ unam Camerinam confluxuras, mundum perdituras. Id
„ ego ostendere intendo de Parisiis, *Papæ, veri Antichri-*
„ *sti*, maximo fornicationis cubiculo, atque probare, eas
„ esse pejores Montanis, Ebionitis, & omnibus, quos
„ commemoraverunt, hæreticis „. Nec minus amarulenta verba jecit in Romanum Antistitem, Ecclesiamque Romanam *Calvinus*, qui illum *Antichristum* vocat, in eumque quadrare asserit quod *Daniel. 7. v. 25., & 2. ad Thessal. 2. v. 4.* de Antichristo dicitur (*Lib. IV. Instit. cap. 7. §. 25.*). Ibidem etiam inverecunde calumniatur ejusdem Romanæ Ecclesiæ doctrinam statuens, sine argumento, sine idoneo teste:
„ Quasi vero dubium sit, qualem Religionis speciem professi
„ sint jampridem Pontifices cum toto Cardinalium Colle-
„ gio, & hodie profiteantur. Primum enim arcanæ illius
„ Theologiæ, quæ inter eos regnat, caput est; *Nullum*
„ *esse Deum*. Alterum; *Quæcumque de Christo dicentur*
„ *mendacia esse, & imposturas*. Tertium; *Doctrinas de fu-*
„ *tura vita, & ultima Resurrectione meras esse fabulas* „. Quæ omnia commentitia esse nedum Indigenæ, sed Nationes mundi quot quot sunt, certissime sciunt, quum in Urbe personare audiunt Symbolum Fidei tunc, cum *Agenda* celebrantur, ac Divinum Missæ offertur Sacrificium; atque ab omnibus, quos Romana Ecclesia ad longinquas etiam Nationes mittit, immaculatum recitatur. Didicerant *Lutherus*, atque *Calvinus* a Magistris suis *Joanne Wicleff*, & *Joanne Hus*, quorum primus *Art. 37.* „ Romana
„ Ecclesia est Synagoga Satanæ &c. „ *&* 40. „ Electio Pa-
„ pæ a Cardinalibus per Diabolum est introducta „: Alter vero *Art. 28.*, ut in Romanum Pontificem virus sui pectoris effunderet, impie, & blapheme in D. N. J. C. linguam exerit dicens: „ *Christus sine talibus Capitibus* (h. e. Romanis
„ Pontificibus) *per servos suos* veraces discipulos sparsos per
„ orbem terrarum, melius suam Ecclesiam gubernaret „.

Suntne ista ex Spiritu Christi, ac Spiritus Sancti dictata? Nonne Christi Jesu verba sunt (*Matt.5. 22.*): „ *Qui autem* „ *dixerit fratri suo raca reus erit Concilio. Qui autem dixerit* „ *fatue reus erit gehennæ ignis?* „ Nonne acerbiora his sunt, quæ in Latinos Catholicos jaciunt improperia Dissidentes? Igitur non ex Patre Deo sunt, *nam Deus charitas est: & qui manet in charitate* „ ille „ *in Deo manet, & Deus in eo* „ (*Joan. Epist.1. c.4. 16.*). Nec usquam convicia, aut maledicta fuere argumenta; eaque imo extranea sunt, nec pertinentia omnino ad doctrinam.

Quod si quis in Catholica Ecclesia moribus a sua professione alienis vivat, & Christianus nomine sit, non actis quamvis inter Dei ministros, & Sacerdotes censeatur, quid ad hæc? Numquid fidei puritas candidissima, ac nitidissimus splendor marcescet, deficiet, atque obscurabitur aliquorum erratis, & iniquitate? An Solis radii propriam pulchritudinem, lucemque amittunt, dum obscura montium irradiant, & loca cænosa? Scribarum equidem, ac Pharisæorum non mala tantum, sed abominabilis vita erat, hypochrisi undequaque fœdata; ast nihilominus „ Jesus lo„ quutus est ad turbas, & ad discipulos suos dicens: su„ per Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. Om„ nia ergo quæcumque dixerint vobis, *servate*, *& facite*; „ secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, „ & non faciunt„ (*Matt.23. 1.seqq.*); *servate* quoad fidem; *facite* quod mores, & opera. Cujus igitur momenti est Dissidentium eloquium, dum verbis, factisque respondent, nolle se doctrinam sequi verissimam Apostolicæ, Catholicæque Ecclesiæ, quia inter ejus filios, quamvis Doctores sacros, oculis nimium sagacibus, & multoties icterico visu, aut vident, aut videre se putant nonnullos, seu plures Christi, & Apostolorum non sequentes immaculata vestigia?

Oh maximam, maximeque deflendam fallaciam, ac Satanæ illusionem, qui Evam a principio mendaciis, & fascinatione seduxit! Datum est & mihi indigno aliquando a clementissimo Jesu, jacere ad pedes ejus, & mentis oculi aspicere innumeros pene florentissimos Populos, potentes viribus corporum, dignitate temporali splendidos, opi-

bus, ingenioque celebres; seu etiam vastissimas incolentes terras sine Ductore, & Magistro, aut a magistris pestilentiæ seductos, in tenebris sedentes errorum, & umbra æternæ mortis. Hac visione perterritus, & de ipsorum salute sollicitus, unaque misericordia motus super eos ex intimo corde ima suspiria trahens palpitans de profundis clamabam: „ *Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam* „ *dinumerare?* „ (*Psalm.* 89. 11.) *Judicia tua abyssus multa!* (*Psalm.* 35. 7.). Sed quoniam Filius tuus, Domine, dilectus, in quo Tibi bene complacuisti, „ *omnes homines vult* „ *salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*,, (*Tim.* 1. 2. 4.), ac „ *pro omnibus mortuus est* „ (*Corint.* 5. 15.), respice in faciem Christi tui. Parce nobis; & salva Nationes, quas tu creasti, quasque redemit Jesus sanguine suo pretiosissimo.

In toto corde cuperem ad vos, ad quos convertitur sermo meus, venire, ac præsens esse, ut gratia Dei adjuvante salutis pabulum ore ad os vobis præberem, & antidotum mortis; utque coram simplicitatem animi mei experimento cognoscere, ac tentare vobis datum esset. Sed quoniam voluntas Dei non est, ut veniam, quum infirmitates meæ, & multa prohibeant obstacula, audite verba mea per atramentum, & calamum prolata; „ *in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras* „ (*Jacob.* 1. 21.); ac Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ communionem implorate. Hæc per Semetipsum, ac per merita Filii sui præstet omnipotens Deus, cui gloria, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Vester ex Animo
Idem, qui hoc Opusculum scripsit
Indignus Sacerdos Septimius Costanzi.

INVOCATO DIVINO PRÆSIDIO

Sancta Apostolica Sedes, & Romanus Pontifex in universum Orbem tenet Primatum, & ipse Pontifex Romanus Successor est B. Petri Principis Apostolorum, & verus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Pater, & Doctor existit, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. J. C. plena potestas tradita est.

PROŒMIUM

Primatus S. Petri, & Romanorum Pontificum est Dogma Fidei.

1 Hæc est Fides, quam ab initio, semper, & ubique tenuit Catholica Ecclesia, & quam Sancta Oecumenica Florentina Synodus, consentientibus Græcis, & congaudentibus, definivit his verbis „ Definimus Sanctam Apostoli- „ cam Sedem, & Romanum Pontificem in universum Or- „ bem tenere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum „ Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & ve- „ rum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & „ omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere, „ & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi uni- „ versalem Ecclesiam a D.N.J.C. plenam potestatem tra- „ ditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenico- „ rum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur „ (Ex litteris Unionis Græcorum incipien. „ Lætentur Cæli „ „ in fin.Sess.ult.Conc. Florent. in Bullar. Mainardi Tom.III. „ Par.III. Eugen. IV. Constit. XXI.)

(*Sacræ Paginæ, & Divina traditio hoc idem Dogma docent*) 2. Revera S. Petrum Principem Apostolorum a Christo Domino fuisse constitutum; & in Romanum Pontificem Supremam Auctoritatem, & potestatem pascendi, regendi, & gubernandi universum Orbem, Orientis nempe

æque ac Occidentis Ecclesias, utpote ipsius Beati Petri Successorem transiisse, clamant divina eloquia, & tota antiquitas, & traditio, scilicet Concilia, & Patres. (*Quare nec heterodoxi id possunt diffiteri*) Id cum diffiteri non possint Heterodoxi, Primatum illum, *jurisdictionis* esse negant, ac primos dumtaxat *Ordine* agnoscunt cum S. Petrum, tum Romanos Pontifices illius Successores, primos, inquam, inter pares; & istum Primatum Romani Pontificis ab ipsis invectum, Juris esse Divini inficiantur. Verum quia Primatum Jurisdictionis, & hunc de Jure divino in Romano Pontifice negant, ab Ecclesia Catholica ut haeretici habiti sunt, & habentur. Imo hic error, veluti quaedam tessera haereseos est, quoniam si haeretici Petri vocem in Successoribus audivissent, a vera fide non aberrassent; vel a tramite sanae doctrinae devii ad unitatem Catholicae Ecclesiae rediissent.

3. (*Ast, quoniam plures ex Graecis, quod statuimus jamdudum negant, ad eos suadendos praesens scribitur Assertio*) His non obstantibus, cum Graecorum copiosa multitudo, qui a Romani Pontificis societate, & communione alieni vivunt, dogma Primatus, quod hic supra exposuimus, jamdudum negent; quemadmodum ad eos suadendos *Opusculum de Processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio elaboravimus*, ita nunc *de Romani Pontificis Primatu Jurisdictionis, & Auctoritatis* agere statuimus, ut eo magis appareat, quantum a veritatis semita longe eant Graeci ipsi, dum Primatus Romani Pontificis fidem renuunt amplecti.

4. (*Ad hos, aliosque Dissidentes cohortatio*) Exhortor vos, o Graeci, aliique Dissidentes, & obsecro ego indignus Dei Minister, qui non sum dignus vocari Sacerdos, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* (2. Corinth. 6. 1.); ac salutis verbum prompto animo audientes oculos aperiatis ad lucem, & antiquos errores tandem aliquando deponatis, ut simul *occurramus in unitatem Fidei* (*Eph*. 4. 13.) sub Romano Pontifice Christi Vicario donec „ occuramus omnes in „ virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi „ (*Eph. ubi sup.*) „

5. (*Statuuntur quidam, veluti Canones ad discernendas Catholicas veritates a S. Vincentio Lerinensi traditi*). Ante-

quam vero ad probationes descendamus operæ pretium ducimus statuere quosdam veluti Canones, ad discernendas hæreses a Catholicis veritatibus, traditos *a S. Vincentio Lerinensi, qui Sæculo* 5. floruit, *in Opere, cui Titulus* „ *Incipit Tractatus Peregrini pro Catholicæ Fidei antiquitate, & universitate adversus prophanas omnium novitates Hæreticorum* „; quod *Commonitorium* etiam ab ipso Auctore appellatur. Hoc opus scripsit Auctor triennio ferme postquam celebratum fuit Ephesinum Concilium, idest *Anno Christi* 434. ut ipsemet testatur *Commonitorii Cap.*42. illis verbis „ Exem-
„ plum adhibuimus S. Concilii, quod ante triennium fer-
„ me in Asia apud Ephesum celebratum est „: Ac meruit laudes non solum S. Eucherii, Gennadii, Adonis, Tritemii, aliorumque Catholicorum, sed etiam hæreticorum Georgii Callixti, Ottingeri, Casauboni, Barzii, Ugonis Grotii, Friderici, Ulrici Callixti, Marci Antonii De Dominis, Osiandri, Matthiæ Flacci Illirici, Bartholomæi Petri de Dovay, quorum omnium elogia fere recapitulantur in eo, quod *Centuriatores Magdeburgenses* protulerunt *Centur.*5. *Cap.* 10., nempe: „ *Quod si quis diligentius pensitabit* (de Commonitorio prædicto loquuntur) *dicet, Scriptum esse eruditum, & acutum, quodve hæreticorum fraudes in apertum producat: quin & præsens valde remedium, & antidotum quasi contra eorumdem venena ministret: in quo ipsius Scriptoris vis elucet, & doctrinæ ipsius magnitudo* „.

6. (*Ad discernendas hæreses duplex est auctoritas; Divinæ scilicet Legis, & Ecclesiæ Catholicæ traditionis*) Statuit igitur, se a quamplurimis sanctitate, & doctrina præstantibus Viris accepisse „ *Quod* (ait *Cap.I. Edit. P. Curtii Reginaldi Boni*, quam latine, & ex latino italice redditam typis mandavit *Romæ anno* 1782.) *sive ego, sive*
„ quis alius vellet exurgentium hæreticorum fraudes depre-
„ hendere, laqueosque vitare, & in fide sana sanus, atque
„ integer permanere, duplici modo munire fidem suam,
„ Domino adjuvante, deberet. Primo, scilicet, divinæ
„ Legis auctoritate, tum deinde Ecclesiæ Catholicæ tradi-
„ tione „ Pergit inde, & Cap. III. (*In ipsa Catholica Ecclesia tenendum est quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.*) „ In ipsa item (inquit) Catholica Eccle-

„ sia magnopere curandum est, ut id teneamus, *quod ubi-
„ que, quod semper, quod ab omnibus creditum est*. Hoc est
„ enim vere, proprieq. Catholicum (quod ipsa vis nomi-
„ nis, ratioque declarat), quod omnia fere universaliter
„ comprehendit. Sed hoc ita demum fiet si sequemur *Uni-
„ versitatem, antiquitatem, consensionem* „ Verum quoniam nonnumquam accidere solet, ut Ecclesiæ aliqua, quamvis non modica, portio, ab universali se temeraria præsumptione sejungat, quid faciendum sit *Lerinensis* admonet *Cap. IV.* (*Quid faciendum si aliqua Ecclesiæ portio se ab Universali sejungat.*) „ Quid igitur tunc faciet Catholicus, si
„ se aliqua Ecclesiæ particula ab universalis fidei commu-
„ nione præciderit? Quid utique, nisi ut pestifero, cor-
„ ruptoque membro sanitatem universi Corporis antepo-
„ nat? „ Idque exemplo confirmat (*Cap. V.*): (*Exemplo id confirmatur*) „ Tempore Donati, a quo Donatistæ, cum se-
„ se multa pars Africæ in erroris sui furias præcipitaret,
„ quumque immemor Nominis, religionis, professionis,
„ unius hominis sacrilegam temeritatem Ecclesiæ Christi
„ præponeret; tunc quicunque per Africam constituti, pro-
„ phano Schismate detestato, universis Mundi Ecclesiis
„ adsociati sunt, soli ex illis omnibus intra Sacraria Catho-
„ licæ fidei salvi esse potuerunt: egregiam profecto relin-
„ quentes posteris formam, quemadmodum scilicet dein-
„ ceps, bono more, unius, aut certe paucorum vesaniæ,
„ universorum sanitas anteferretur „

7. (*Assertum probat Lerinensis exemplis SS. Martyrum*) Pergit inde *Lerinensis*, probatque veritatis assertum, quod a principio statuit, exemplis SS. Martyrum, qui pro antiqua fide Ecclesiæ universalis, sanguinem, & vitam profuderunt „ apud ipsam Ecclesiæ vetustatem, non partis ali-
„ cujus, sed universitatis ab iis est suscepta defensio . . .
„ omnium SS. Ecclesiæ Sacerdotum Apostolicæ, & Catho-
„ licæ veritatis hæredum Decreta, & definita sectantes,
„ maluerunt semetipsos, quam vetustæ universitatis fidem
„ prodere . . . . Magnum hoc igitur eorumdem Beatorum
„ exemplum, planeque divinum, & veris quibusdam Ca-
„ tholicis indefessa meditatione recolendum: qui in mo-
„ dum septemplicis Candelabri septena Sancti Spiritus luce

„ radiantes, clarissimam posteris formulam præmonstra-
„ runt, quonam modo deinceps per singula quæque erro-
„ rum vaniloquia, sacræ vetustatis auctoritate prophanæ
„ novitatis conteratur audacia „ (Cap. VIII.)

8. Memoranda certe, & profunde consideranda alia verba piissimi hujus Scriptoris, atque doctissimi, quæ in antecessum probant etiam Dogma Primatus Romani Pontificis ab Ecclesia Romana semper retentum, in qua Ecclesia, immaculata semper Divini Numinis auxilio, ac protectione est servata Catholicæ fidei religio. Probat siquidem adductis aliis argumentis canonem superius constitutum, quod scilicet veritas fidei est id, *quod semper, ubique, & ab omnibus* retentum fuit, exemplo sumpto a damnatione erroris rebaptizandorum. Ait enim *Cap.IX.* (*Mos iste semper in Ecclesia retentus, ut novellis adinventionibus contradicatur.*) „ Neque hoc sane novum: Siquidem mos iste sem-
„ per in Ecclesia viguit, ut quo quisque foret religiosior,
„ eo promptior novellis adinventionibus contrairet (*Exemplis plena sunt omnia; adduciturq. id quod actum est in causa rebaptizantium*) „ Exemplis talibus plena sunt omnia. Sed
„ ne longum fiat, unum aliquod, & hoc ab Apostolica po-
„ tissimum Sede, sumemus: ut omnes luce clarius videant,
„ beatorum Apostolorum beata successio quanta vi semper,
„ quanto studio, quanta contentione defenderit susceptæ
„ semel religionis integritatem. Quondam igitur Ven.Me-
„ moriæ Agrippinus Carthaginiensis Episcopus, primus
„ omnium mortalium contra Divinum Canonem, contra
„ universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium
„ Consacerdotum, contra morem, atque instituta Majo-
„ rum, rebaptizandum esse censebat. Quæ præsumptio
„ tantum mali invexit, ut non solum hæreticis omnibus
„ formam sacrilegii, sed etiam quibusdam Catholicis oc-
„ casionem præbuerit erroris. Quum ergo undique ad no-
„ vitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaver-
„ sum Sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur, tunc
„ beatæ mem. Papa Stephanus Apostolicæ Sedis Antistes,
„ cum cæteris quidem Collegis suis, sed tamen præ cæteris
„ restitit; dignum, ut opinor, existimans si reliquos
„ omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci

„ *Auctoritate* superabat. Denique in Epistola, quæ tunc
„ ad Africam missa est, his verbis sanxit „ Nihil novan-
„ dum, nisi quod traditum est „ (*Græci rebaptizantes per immersionem eos, qui baptizati apud nos fuerunt per infusionem, sacrilege agunt*) (Observent etiam hoc loco Græci illi, qui baptizatos a Catholicis *per infusionem*, audent rebaptizare *per immersionem*; Quod novum est in Ecclesia Catholica, baptizatos semel valide, sive per aspersionem, sive per infusionem, aut effusionem, sive per immersionem ii tincti fuerint, iterum baptizare; quod etiam sacrilegum esse omnes censent fideles. Et certe, rebaptizati minime fuerunt ter mille, qui ad Petri prædicationem una die sacro lavacro regenerati sunt „ Qui ergo receperunt sermo-
„ nem ejus baptizati sunt; & appositæ sunt in die illa *Ani-*
„ *mæ circiter tria millia* „ (Act. 2. 41.), quosque non per immersionem baptizatos fuisse censendum est, cum impossibile una, eademque die id redderetur, sed vel per aspersionem, vel per effusionem, qui modi unice possibiles erant in tanta hominum multitudine) „ Intelligebat
„ enim Vir Sanctus, & prudens, nihil aliud rationem
„ pietatis admittere, nisi ut omnia, qua fide a Patribus
„ suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur; Nosque
„ religionem non qua vellemus, ducere, sed potius qua
„ illa duceret, sequi oportere; idque esse proprium Chri-
„ stianæ modestiæ, & gravitatis, non sua posteris trade-
„ re, sed a majoribus accepra servare. Quis ergo tunc uni-
„ versi negocii exitus? Quis utique, nisi usitatus, & so-
„ litus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas „

9. (*Probat Lerinen. Assertum auctoritate Sac. Scripturæ.*) Prosequitur postea idem *Lerinensis* probare theoremata superius statuta auctoritatibus Sacræ Scripturæ, præsertim depromptis ab *Epistolis Apostoli Pauli*; (*Ex Epistola S. Pauli ad Galatas*) & primo loco (*Cap. XII. XIII. XIV. Commonitorii*) *ex Epistola ad Galatas*, ex cujus textu concludit (Cap. XIV.) „ Adnuntiare ergo aliquid Christianis
„ Catholicis præter id, quod acceperunt, numquam licuit,
„ nusquam licet, numquam licebit, & anathematizare
„ eos, qui annuntiant aliquid præterquam quod semel ac-
„ ceptum est, numquam non oportuit, nusquam non

„ oportet, numquam non oportebit. Quæ cum ita sint; „ est ne aliquis vel tantæ audaciæ, qui præter id, quod „ apud Ecclesiam adnuntiatum est, adnuntiet? vel tantæ „ levitatis, qui præter id, quod ab Ecclesia accepit, ac„ cipiat? Clamat, & repetendo clamat, & omnibus, & „ semper, & ubique per litteras suas clamat, ille Vas ele„ ctionis, ille Magister gentium, illa Apostolorum tuba, „ ille terrarum Præco, ille Cælorum conscius; ut si quis „ novum Dogma annuntiaverit, anathematizetur. Et con„ tra reclamant ranæ quædam, & cyniphes, & muscæ „ morituræ . . . . & hoc Catholicis. Nobis, inquiunt, „ Auctoribus, nobis principibus, nobis expositoribus, „ damnate quæ tenebatis, tenete quæ damnabatis, reiici„ te antiquam fidem, paterna instituta, Majorum depo„ sita „

10. (*Tum ex Epistola I. ad Timotheum.*) Tum deinde aliud Apostoli Pauli textum exponit *Lerinensis ex Epistola I. ad Timoth. 6.* in hæc verba, quæ præterire non possumus. Ait enim *Cap. XXVII.* „ Sed operæ pretium est totum ipsum „ Apostoli Capitulum diligentius pertractare: *O Timothee*, „ *inquit*, *Depositum custodi*, *devitans prophanas vocum novi-* „ *tates* . . . . Quid est *Depositum custodi*? Custodi, in„ quit, propter fures, propter inimicos . . . *Depositum*, „ inquit, *custodi*. Quid est *Depositum*? Id est, quod tibi „ creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, „ non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinæ; „ non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis; rem „ ad te perductam, non a te prolatam; in qua non Auctor „ debes esse, sed custos; non institutor, sed sectator; „ non ducens, sed sequens. *Depositum*, inquit, *custodi*, „ catholicæ fidei talentum inviolatum, illibatumque con„ serva. „

11. (*Cum Lerinensi concinit Tertullianus*) Concinit *Tertullian. lib. de præscript. advers. hæres. cap.* 31. ubi ait „ Sed „ ab excessu, revertar ad principalitatem veritatis, & po„ steritatem mendacitatis disputandam ex illius quoque pa„ rabolæ patrocinio, quæ bonum semen frumenti a Domi„ no seminatum in primore constituit, avenarum autem „ sterilis fæni adulterium ab inimico Diabolo postea supe-

„ ducit. Proprie enim doctrinarum distinctionem figurat; „ quia & alibi verbum Dei seminis similitudo est. Ita ex „ ipso ordine manifestatur, id esse Dominicum, & verum, „ quod sit prius traditum; Id autem extraneum, & fal- „ sum, quod sit posterius immissum. Ea Sententia mane- „ bit adversus posteriores quasque hæreses, quibus nulla „ constantia de conscientia competit ad defendendam sibi „ veritatem „

12. (*Dogma Primatus Romani Pontificis, quod asserimus, ubique, semper, ab omnibus retentum est; ac spectat ad depositum fidei*) Quibus ad discernendam fidei veritatem ab errore prolatis; videndum nunc ad rem nostram præsentem, *quidnam ubique, semper, ab omnibus creditum sit; Quod nam Depositum acceptum, traditum, & ex Apostoli mandato custodiendum*; Utrum nempe *Dogma Primatus jurisdictionis Romani Pontificis in universum Orbem*; An contrarium assertum a multis ex Græcis, & a Sectariis adhuc infelicissime prolatum? Certum est adeo ut a nemine negari possit (quod ex historia Ecclesiastica liquet; atque ex probationibus inferius, Deo dante, referendis constat invictissime) usque ad nonum Ecclesiæ Sæculum, imo ipso etiam nono sæculo (quo Photius, qui e latebris illis emersus, e quibus Lucifer prodit dum dixit „ Similis ero Altissimo „ prima jecit Schismatis semina *anno Christi* 857.; *Oecumenici* nomen sibi usurpavit; ac Summi Romani Præsulis Primatui se subdere recusavit) omnes quaquaversum Catholicas Ecclesias, Orientales, & Occidentales, in fide Primatus Petri, ac ejus Successorum in Cathedra Romana apprime convenisse; ita ut terra tunc erat labii unius, & sermonum eorundem. Quod adeo est verum, ut Photius ipse scripserit *ad S. Nicolaum I. Papam* Epistolam, quam descriptam exhibet *Baronius Tom.* 10. *ad an.* 861. In qua Epistola inter cætera ad sui ipsius defensionem prolixe, sed subdole exposita, fatetur, quod Romano Pontifici inter Præsules *Primatus obtigit*.

13. (*Photium invasit ambitio rapiendi Constantinopolitanam Sedem, vivente legitimo Patriarcha S. Ignatio*) Verum Photio, Viro laico, nobilitate quidem insigni, & dignitatibus apud Aulam Principis perfuncto, nec non eidem tunc

a Secretis Primo, sed ad quodvis audendum nefas paratissimo, intollerabilis ambitio suggessit Constantinopolitanam Sedem, vivente adhuc legitimo Patriarcha S. Ignatio virtutum omnium luce clarissimo, invadere, quam Sedem, verticem capilli perambulans in delictis suis, superbe suspiciebat. Decimus tertius agebatur annus, ex quo Michael Theophili Imperatoris filius sub Matris Theodoræ prudentissimæ, religiosissimæque fœminæ tutela regnabat, cum ex ephebis egressus per seipsum Imperium moderari voluit. Fuerant pessimæ indolis Principi ad omne malum seu illectores, seu assentatores nequissimus Præceptor, & Bardas Theodoræ Augustæ Frater. Hujus Bardæ consilio Theodora Augusta privatam ad sortem redacta est *anno Christi* 855. Tum Michael Imperator rerum omnium administratione Bardæ permissa, totum se ludis, aurigationibus, præpotationibus, omnibus voluptatibus dedit, Neronis instar, effusæ in omnem intemperantiam libidini addens impietatem, qua rebus Sacris illudebat. Præerat Ecclesiæ Constantinopolitanæ S. Ignatius origine clarus, sed splendidior religione, ac virtutibus, qui, defuncto S. Methodio, Constantinopolitanus Patriarcha electus, & inauguratus fuerat *an. Christi* 847.. Is Bardam Imperii moderatorem, quod repudiata Uxore, incestam cum nuru stupri consuetudinem haberet, communione privavit, quem paternis admonitionibus emendare frustra tentaverat. Ob censuram æquissimam Sancto Patriarchæ Bardas infensus se ulcisci decrevit occasione data: Atque ut Ignatium ob vitæ sanctimoniam perditissimo Imperatori jam invisum malis artibus apud ipsum, velut reum Majestatis, facilius traduceret, Michaeli persuasit, ut Matrem Theodoram velari juberet ab Ignatio, ne forte conjungium iniens, Maritum ad Imperium, eo deturbato, provehere niteretur. Augustam invitam velare recusavit Ignatius; qua occasione arrepta, Bardas falso suggessit Imperatori, Patriarcham res novas contra ipsum Augustum moliri. Imperator igitur, instigante Barda, in Insulam Terebinthum eum relegavit. Missi deinde Episcopi Aulici, ac Patricii, qui cessionem Patriarchatus ipsi vehementer suaderent; at invictissimus Præsul nec precibus, nec minis adduci potuit, ut se Episcopatu abdi-

caret, idque ob studium Ecclesiasticæ libertatis, & æquitatis, quam cessione sua videbat oppressam iri. Hæc omnia constant *ex Niceta Paphlagone in Vita S. Ignatii, ex Curopalate, ex Anastasio Bibliothecario in Præfatione ad VIII. Synodum, & ex Cedreno.*

14. (*Gregorius Asbesta ab Episcopatu Syracusano depositus contra omne Jus renunciavit Photium, qua Antistitem Constantinopolitanum, eumque ordinavit*). Constantinopoli tunc degebat Gregorius Asbsta, Syracusanus olim Episcopus, quem S.Ignatius Patriarcha ante aliquot annos seditionis, schismatis, aliorumque criminum convictum, congregata Synodo, deposuerat. Quam exauctorationis sententiam, ut rata esset, Summo Pontifici S. Leoni IV. subdidit pro confirmatione; cumque S.Leo distulisset judicii confirmationem donec altera pars audiretur, ut constat *ex Epistola IX. S.Nicolai I. Papæ*, Ignatius Romam misit Acta Synodalia, quibus visis, & causa discussa, S. Leonis Successor Benedictus III. depositionem Gregorii confirmavit, ut testatur idem *S.Nicolaus I. Epistola 6. ad Photium, & Epistola 10. ad Clerum Constantinopolitanum; quod & Stylianus Episcopus Neocæsareæ Euphratesiæ in Epistola ad Stephanum VI. Romanum Pontificem confirmat.* Hic idem Gregorius schismaticus, criminum convictus, exauctoratus, posthabitis Sacrorum Canonum legibus, absque ulla jurisdictione in Patriarcham Ignatium, judicio illegitimo, ac ob nullitatis vitium injustissimo, eumdem S. Ignatium depositum dixit, ac Photium renunciavit Constantinopolitanum Patriarcham, eumque inauguravit sex dierum spatio, ad omnes Ordinum gradus illum promovens, prima scilicet die Monachum, altera Lectorem, tertia Subdiaconum, quarta Diaconum, quinta Presbyterum, sexta Episcopum ordinans, ut tradit *Nicetas in vita S.Ignatii. Ordinatio Photii acta fuit anno Christi 857.*

15. (*Quoniam Ecclesia Latina S.Ignatii defensionem susceperat, Photius in eam excanduit ira*). Sacrilege rapto a Photio Patriarchatu Constantinopolitano, Ecclesia Latina S.Ignatii, quem innocentia, justitia, Ecclesiastica, imo & Divina jam tuebantur, defensionem suscepit; unde Photius eumdem Ignatium implacabili, & inhumana crudeli-

tate divexavit, Ecclesiamque Latinam impudentibus calumniis impetivit. Enimvero *S.Nicolaus I. Romanus Pontifex* cum cognovisset, Photium in Pseudo-Synodo a se coacta Canstantinopoli, temerario ausu S.Ignatium damnavisse, ac Sede sua deposuisse, habita Romæ Synodo, Photium ipsum proscripsit; A Sede, quam ut latro, & adulter invaserat, deposuit, & S.Ignatium ad suum Patriarchatum restituit, quæ *Sententia S.Nicolai I. in Oecumenico octavo Concilio, Constantinopolitano IV.* anni 869., *probata fuit*.

16. (*Damnato Photio a S.Nicolao I. PP. ille schismatis vexillum explicavit*). Statim ac Photius accepit, se proscriptum fuisseRomæ, veluti Sedis alterius invasorem, classicum cecinit,& in rabiem actus litteras encyclicas ad Orientis Patriarchas contra Ecclesiam Romanam dedit; S.Nicolaum Papam samel, ac iterum duobus in Conciliabulis, seu latrociniis a se Constantinopoli congregatis (horreo scribere, & refugiente pluma narrare) anathemate feriit; Tractatumque edidit adversus Latinorum dogmata, eorumque mores. (*Photius per summum scelus S.Nicolaum I. PP. Anathemate feriit, contradicentibus pluribus Orientis Episcopis*). Siquidem de his, quæ in Romana S. Nicolai Pontificis Synodo contra ipsum decreta fuerant, certior factus impiissimus Photius, ac videns, quod plebs fidelis a sua communione turmatim discederet, eo prorupit audaciæ, ut, congregato Conciliabulo, cujus se Michael Imperator Præsidem gessit, subornatis impostoribus, qui se Vicarios, & Legatos Patriarcharum Orientalium mentiti sunt, accusatoribus, testibusque pecunia corruptis, conficta crimina SSño Papæ Nicolao I. impegerit, eumque anathemate damnaverit. Tam sacrilegæ audaciæ, tam impudenti facinori cuncti refragati sunt, quibus aliquis Dei timor adhuc inerat. Aliquot tantum Episcopi, qui ex Photii fortuna aliquid corrodere sperabant, damnationi Pontificis Maximi subscripsere. Conclamarunt cæteri. „ Non esse justum in summum, & primum Ponti„ cem, præcipue ab inferiori, quomodolibet sententiam „ proferri „; quibus verbis pandebant fidem Orientis de Primatu Pontificis Romani. Quapropter nequissimus Photius, quo incautis imponeret, & illuderet, conscripto Codici, calumniis adversus S. Nicolaum Papam scatenti, mil-

le circiter Episcoporum ementitas subscriptiones interseruit.

17. (*Ad Patriarchas, & Episcopos Orientis Encyclicas dedit Photius imposturis in Romanam Ecclesiam refertas*). At non satis id Photio; nam ad Patriarchas, & Episcopos Orientis Encyclicas dedit Epistolas, imposturis in Romanam Ecclesiam refertas, quibus eos ad Synodum vocabat, in qua varii errores (dicebat ipse) damnarentur, quos eidem S. Ecclesiæ improperabat. (*Ac nomen Patriarchæ Oecumenici sibi arrogavit*). Sed & insuper superbum, & jamdiu proscriptum *Oecumenici Patriarchæ* nomen sibi Photius arrogabat, ut patet *ex Epistolæ Circularis* inscriptione, quam *ex Vallicellianæ Bibliothecæ Codice Baronius exhibet ad annum Christi* 863. Demum, auctorante Augusto Michaele, aliam *anno Christi* 867. *Pseudo-Synodum* habuit Photius, convocatis omnibus Episcopis a partibus suis, subornatisque nebulonibus, qui se Patriarcharum Orientalium Legatos mentirentur; in eaque exauctorationis, & anathematis Sententiam, sacrilegium sacrilegiis addens, in Romanum Pontificem iterum protulit.

18. (*Hæc initia Schismatis Photiani, qui primus Romani Pontificis Primatum negavit*). En initia, ac prima semina nefandi Schismatis Photiani, quo in supremam etiam Romani Pontificis auctoritatem ausus est Photius, eamque verbis, & factis *primus* negavit, dum se *Oecumenicum* nuncupavit *Patriarcham*, & SSmum Nicolaum I. excommunicatione percellere, & in eum Sententiam exauctorationis proferre non erubuit, nec timuit, quia Imperatoris potentia fretus. Novus certe error hic erat in Ecclesia Catholica usque adhuc inauditus adversus Catholicam fidem, quam tum Orientis, tum Occidentis Pastores, & Fideles retinuerant, & retinebant. (*Oriens Photium exhorruit*). Enimvero in Oriente ut novum Dioscorum, & Antichristi Præcursorem pene omnes Catholici Photium execrabantur.

19. (*Leo Sapiens Imp. Photium a Sede Costantinopolitana ejecit expensis litteris Summi Pontificis*). Verum cum Leo Sapiens, qui Basilio Macedoni in Imperio successit, expensis litteris, quas Summus Pontifex *Stephanus VI.* ad Basilium dederat, Photium adulterum a Sede Constantinopolitana

ejecerit; non potuit Photius ipse Catholicam Ecclesiam per schisma ulterius dilacerare, & in Romanos Pontifices, eorumque Supremam iu Catholica Ecclesia auctoritatem insurgere. (*Hinc Schisma penitus extinctum*). Extinctum igitur, ejecto e Cathedra Patriarchali Photio Schisma est Deo Auctore, qui Ecclesiæ suæ labores misericorditer respexit. Nam quamvis unus, aut alter, qui Sedem Constantinopolitanam post Photium obtinuerunt, consilium de revocando schismate inierint, cesserunt in irritum conatus ipsorum, firmissime custodientibus Græcis fidem a Patribus acceptam, unde *Unitas inter Græcam, & Latinam Ecclesiam sub decem, & septem Patriarchis post Photium perduravit*. Sed oportet & hæreses esse, ut qui probati sunt manifesti fiant.

10. (*Ast Sæc. Christi XI. e latebris luciferianæ superbiæ exiit Michael Cerularius, qui schisma e cineribus revocavit*). Itaque Deo permittente, cujus magna, verissima, & incomprehensibilia sunt judicia, & investigabiles viæ, exiit tandem *sæculo XI.* Æræ christianæ radix peccatrix *Michael Cerularius*, qui e cineribus schisma revocavit, exitu quoad opus præconceptum feliciori, sed infelicissimo quoad effectus, scilicet ob seductionem animarum, quas Christus proprio sanguine redemit, quasque perditissimus Michael fascinavit. Oh hæresis, quam amara est memoria tua! Quam acerbi sunt fructus tui! „ *Mater tua leæna* . . . . .
„ (intelligo superbiam, ambitionem, & amorem sui) tu-
„ lit unum de Leunculis suis, Leonem constituit eum.
„ Qui . . . factus est leo: & didicit prædam capere, &
„ homines devorare: Didicit viduas facere, & Civitates
„ eorum in desertum adducere: & desoluta est terra, & ple-
„ nitudo ejus a voce rugitus illius (Ezech. 19. 2. 5. 6.).

11. (*Michael Cerularius scripsit Epistolas contra Latinam Ecclesiam fœdis mendaciis scatentes*). Sane Michael Cerularius inauguratus fuit Patriarcha Constantinopolitanus *ann. Christi* 1043. Constantino Monomacho Imperante. Ille præcipiti ambitione abreptus fuit, & actus. Quamvis enim decem annos integerrimæ fidei habitus fuerit; nihilominus virus diu occultatum effudit *an.* 1053., ac in Romanam, omnemque Latinam Ecclesiam (idest Catholicam) cæpit debac-

chari, scripta, suo, & Leonis Acridani Archiepiscopi nomine, ad Joannem Tranensem in Apulia Episcopum Epistola, quæ *ab Humberto Sylvæ Candidæ Episcopo latinitate donata ad S. Leonem IX. Pontificem Maximum delata est*. Alia quoque anno sequenti ad Petrum Antiochenum Patriarcham Epistolam dedit, fædis in Latinam Ecclesiam calumniis scatentem, & quosdam ipsius mores temere damnantem. (*S. Leo IX. PP. luculentissimas dedit litteras Cerularium redarguens, & revocans ad pœnitentiam*). Non omisit SSmus Pontifex Leo pro ea, qua erat præditus constantia in fide, ac charitate in omnes, Michaelis Patriarchæ, & Leonis Acridani Aschiepiscopi schismaticam vanitatem, & insultus in Romanam Ecclesiam procacissimos, prolixa, erudita, & vehementi Epistola redarguere. (*Est inter ejus Epistolas*; incip. „ In terra pax „, & refertur To.XI. Labb. num. 1.). Ea Leo ante omnia pacem illis offert si vere pacem ament; Ecclesiæ unitatem commendat; Romanæ firmitatem, & auctoritatem ostendit, levitatemque Michaelis; ac tandem usurpata temere Privilegia diluit. Hac ratione Apostolica Sedes ab eo usque tempore robur in fide, ac simul viscera misericordiæ in errantes Græcos ostendit.

22. (*Ficta Cerularii pœnitentiæ ostensio*). Cerularius, sive Imperatoris Monomachi jussu, sive etiam minis territus Civium erga Romanam Ecclesiam propensiorum, ad eumdem Pontificem conciliatrices pacis litteras scripsit. Pontifex unitatis, & concordiæ Ecclesiarum studiosissimus Legatos misit Constantinopolim cum Epistolis ad Michaelem Patriarcham, & ad Augustum pro Ecclesiastica pace conciliandа; *quæ pariter inter ejus Epistolas extant*. Legati ab Imperatore honorificentissime fuere suscepti. Nicetas Pectoratus Studita Hyeromonachus librum contra Romanam Ecclesiam a se editum igni tradidit coram Legatis approbante Imperatore, omnesque execratus est, & anathemate confixit, qui Romanæ Ecclesiæ Primatum negarent, vel qui ejus fidem reprehenderent. (*Cerularius contumax, tandem a Legatis Summi Pontificis Constantinopoli excommunicatus*). Sed cum Michael Cerularius Decretis parere nollet, & colloquium vitaret Legatorum; quin etiam Ecclesiis ad Sacra celebranda eos interdixisset, ideo sæpius monitus, nec res-

piscens, multorumque convictus errorum, simulque Leo Acridanus eadem sentiens, & eorum sectatores, in Magna Ecclesia S. Sophiæ coram universo Populo, & Clero sunt excommunicati. Insidias struxit Cerularius contra Legatos, a quibus per Imperatorem liberati in Italiam ipsi remearunt.

23. (*Superba Cerularii conversatio*). Tam longe vero audacia, & superbia Cerularii progressa est, ut statim ac Ecclesiam Orientalem nefando schismate ab Occidentali divellere omni vi tentavit, *Calceos rubros* induere cæpit, ut se Romano Pontificii æqualem venditaret, quod testatur *Joannes Scylites Curopolata Auctor Græcus in Breviario Historico*, ubi hæc habet: „ Aggressus est etiam (Michael Cerularius) cocco tincta induere calceamenta, antiqui Sacerdotis morem hunc asserens „. Sed adhuc ulterius processit Cerularius, nam superbia eorum, qui Deum oderunt ascendit semper. (*Qui etiam ausus est excommunicare Legatos Apostolicos, & Nomen Summi Pontificis e Dyptichis abradere*). Etenim post discessum ab Urbe Constantinopolitana Legatorum Summi Pontificis, auctoritate ipsius Imperatoris Monomachi fretus, in Regia Civitate Conciliabulum convocavit, in quo per crimen intollerabile, ac sacrilegum, in Legatos Apostolicos excommunicationis Sententiam dixit, & Nomen Romani Pontificis (oh scelus!) e Dyptichis delevit, ut memoriæ prodidit *Georgius Metochita Oratione I. de Dissidio cujus recitat fragmentum Leo Allatius lib. adv. Hottingerum*) ubi hæc leguntur „ *Cum & Imperatoris adversus Papam indignatio inde exorta esset* (idest propter non impetratum contra Normannos auxilium, quod Augustus a Pontifice postulabat) *tumens impetu* (Cerularius) *ferebatur in unione utriusque Ecclesiæ dissolvenda . . . . jure Patriarchatus præsidens, & occasionem arripiens innovavit, & confudit, non examine, non Tribunalibus, non sermonibus, non congregationibus, sed solo mandato Principis cum reliquis, qui sub se erant, Præsulibus numero quidem pusillo restrictis Nomen Papæ ipso facto eraasit, inde dissentionem molitus* „. (*Imo actus impetu, & per injustissimas semitas a Latina Orientalem Ecclesiam discindere sategit*). Dein, datis mendaciorum, & calumniarum plenis litteris ad Petrum Antiochenum,

aliosque Patriarchas, eos a communione Romanæ Ecclesiæ divellere conatus est. *Viden. etiam* „ Acta Legationis ab „ Humberto Cardinali, Legatorum uno, conscripta; Epi- „ stola Michaelis Cerularii ad Petrum Antiochenum (quæ „ Instrumenta Baronius descripsit ad annum 1054.); Acta „ S. Leonis IX. ab Umberto scripta lib.II. cap. V., ac Leo „ Ostiensis lib.2. cap. 89. „ Dicamus nunc Photio, & Cerulario cum *Tertulliano de Præscript. advers. hæret. cap.* 30. *Ostendant Nobis ex qua auctoritate prodierunt*.

24. (*Cum doctrina, quæ negat Primatum Romani Pontificis nova sit, quod etiam ex adhærentibus Cerulario fassi sunt, ex præjactis sequitur, inter hæreses eam computandam*). Quibus ex historia Ecclesiastica relectis, videat quisquis, non dicam Catholicus, & religiosus, sed justus rerum æstimator: Quisnam fidem Divinam teneat de Primatu jurisdictionis Summi Romani Pontificis in universum Orbem; an Latina Ecclesia (idest Catholica) illum asserens, seu potius Græci, qui a Latinis sese subduxerunt, & alieni vivunt, eumque negant? Equidem negabit nemo, quod fides Divina a Deo sit, quam SSmus Redemptor noster Apostolis consignavit, & per Apostolos Ecclesiæ, quæque depositum illud est, quod custodire jubet *Paulus* (*I. ad Timot.6.*): Si enim ab homine sit, non divina fides est, sed humanum inventum. Ast Christus S. Petrum constituit Apostolorum Caput, ac Principem, Eique supremam tradidit potestatem in universam Ecclesiam, & in Petro omnibus in Romana Sede successoribus suis; idque ab initio creditum est semper, ubique, ab omnibus tam Latinis, quam Græcis, (ut supra probatum est, & inferius adhuc erit manifeste ostensum). Octo, & amplius sæculis post Christum D. N. insurrexit Photius, qui eam Divinam fidem traditam, & custoditam evellere tentavit, ac aliam proprio ingenio confictam doctrinam insinuare fidelibus; cumque ille id assequi nequivisset, duobus circiter sæculis elapsis, Michael Cerularius præformatum a Photio opus renovare, & complere nisus est: Ambo autem superbia acti, & illegitimis, ac sacrilegis modis in sacratissimas leges peccantes. Hæc igitur doctrina nova est, humanum inventum, cujus doctor Photius, Cerularius autem discipulus. Quod cogno-

verunt etiam, ac fassi sunt qui Cerulario adhæserunt; nam *Niceta Seidus* circa tempora Paschalis II. Papæ, & Imperatoris Alexii Comneni, hoc est, pluribus annis postquam Cerularius vexillum schismatis erexerat, cum a Latinis hanc propositionem propugnari videret „ *Opinionibus Ecclesiæ Romanæ, tanquam antiquioribus inhærendum* „. Scripsit adversus eosdem Opusculum, cujus hæc inscriptio est: „ *Non simpliciter antiqua novis venerabiliora, ideoque neque Nova Vetus Roma, nec sedes sede* „. (*Ideoque non potuit Cerularius totum Orientem fascinare*). Ideoque non potuit Cerularius totum Orientem fascinare, unde sæculo etiam duodecimo Græcos plerosque cum Latinis communione conjunctos fuisse probant *Historiæ Sacrarum expeditionum*; *Annæ Comnenæ Alexias*; *vita Manuelis Imperatoris a Niceta Choniate edita*; *Petri Ven. Abbatis Cluniacensis ad Joannem Comnenum Imperatorem*, & *ad Patriarcham Constantinopolitanum Epistolæ* 39. & 40. *Lib.*4.

25. (*Igitur Latina Ecclesia depositum fidei custodit*). Igitur Latina Ecclesia Catholica depositum custodit, sibi creditum, non a se inventum; quod accepit, non quod excogitavit; rem non ingenii, sed doctrinæ, non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis. (*Photius*, & *Cerularius rem a se inventam venditarunt*). Photius e contra, Cerulariusque negantes antiquam fidem de Primatu Summi Pontificis rem non acceptam, sed a se prolatam fideles docere ausi sunt, in qua non custodes, sed Auctores fuerunt, institutores, non sectatores, non sequentes, sed ducentes (*Viden. S. Vinc. Lerinen. Cap. XXVII. supra relato*).

27. (*Quare, tenendum est quod Latina, hoc est Catholica tenet Ecclesia*; & *probatur auctoritatibus S. Vincentii Lerinensis*). Quid ergo sentiendum, atque dicendum? Nolumus rem ingenii nostri dicere, sed S. Vincentii Lerinensis superius exscriptas theses huc revocare. „ Magnopera curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est enim vere, proprieque Catholicum . . . . Sed hoc demum fiet si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem (cap. III.): „ Quid igitur tunc faciet Catholicus, si se aliqua Ecclesiæ particula ab universalis fidei communione

„ præciderit? Quid utique, nisi ut pestifero, corruptoque membro sanitatem universi Corporis anteponat? „ (Cap. IV.) „ Siquidem mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque foret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet . . . . Beatæ Mem. Papa Stephanus Apostolicæ Sedis Antistes . . . . his verbis sanxit „ Nihil novandum nisi quod traditum est „. Intelligebat enim Vir Sanctus, & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia qua fide à Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur &c. (Cap. IX.) Adnunciare ergo aliquid Christianis Catholicis præter id, quod acceperunt, numquam licuit, nusquam licet, numquam licebit: & anathematizare eos, qui annunciant aliquid præterquam quod semel acceptum est numquam non oportuit, numquam non oportet, numquam non oportebit „.

27. (*Nec non Tertulliani*). A Lerinensi gradum faciamus *ad Tertullianum*, qui *Sæculo Christi II.* floruit. Audiamus eum *citato Libro de præscriptionibus adversus hæreticos scribentem Cap. VI.*: „ In omni pene Epistola (S. Paulus) de adulterinis doctrinis fugiendis inculcans, hæreses taxat quorum opera sunt adulteræ doctrinæ: Hæreses dictæ græca voce ex interpretatione electionis, qua quis sive ad instituendas, sive ad suscipiendas eas utitur. Ideo & sibi damnatum dixit hæreticum, quia & in quo damnatur, sibi elegit. Nobis vero nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo *induxerit* „ (Vides quod hæresis est non solum novas doctrinas à se inventas docere, sed etiam doctrinas contra eas, quas docet Ecclesia fideles, ab alio inventas sequi. Unde cum Photius, & Cerularius doctrinas, quas contra antiquam Ecclesiæ fidem in publicum protulerunt, a se invenerint, & a latebris superbiæ eduxerint, eas sequi non licet; hæresis enim est illas tenere) „ Apostolos Domini habemus, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio quod inducerent elegerunt: Sed acceptam à Christo disciplinam fideliter Nationibus adsignaverunt. Itaque etiamsi Angelus de Cœlis aliter evangelizaret, anathema diceretur à nobis „.

28. (*Continuatio sententiæ Tertulliani*). Tradit postea *Tertullianus eod. Lib. Cap. XX.* Jesum Christum jussisse, Apostolos suos ire, & docere Nationes; hos autem accepta Spiritus Sancti gratia, & vi, promulgavisse fidem per Judæam prius, dehinc per Nationes, atque instituisse Ecclesias, quæ tamen Ecclesiæ una sunt „ Itaque tot, ac „ tantæ Ecclesiæ una est illa ab Apostolis prima, ex qua „ omnes. Sic omnes prima, & Apostolicæ; dum una omnes probant unitatem. Dum est illis communicatio pa„ cis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitali„ tatis, quæ jam non alia regit ratio, quam ejusdem Sacra„ menti *una traditio* „ Evidens igitur est, quod quæcumque Photius, & Cerularius effutierunt traditioni Ecclesiarum Apostolicarum contraria (idest nova. inter quæ doctrina destruens Primatum jurisdictionis Summi Pontificis) & hæreses sunt, & mendacia, ut *Tertullianus* arguit *Cap. XXI.* in hæc verba „ (*Ecclesia Latina præscripsit in dogmate Primatus Summi Pontificis*). „Hinc igitur dirigimus *præscri„ ptionem.* Si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad præ„ dicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quam „ quos Christus instituit, quia nec *alius Patrem novit nisi „ Filius, & cui Filius revelavit*: nec aliis videtur revelasse „ Filius, quam Apostolis, quos misit ad prædicandum, „ utique quod illis revelavit. Quid autem prædicaverint, „ idest, quid illis Christus revelaverit, & *hic præscribam*, „ non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, „ quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando tam „ viva (quod ajunt) voce, quam per Epistolas postea. Si „ hæc ita sunt, constat proinde, omnem doctrinam, quæ „ cum illis Ecclesiis Apostolicis Matricibus, & Originali„ bus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio te„ nentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli â Christo, „ Christus à Deo accepit: omnem vero doctrinam de men„ dacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ec„ clesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei. „ Quadere cum nec Photii, nec Cerularii doctrina adversus Primatum Romani Pontificis cum Ecclesiis Apostolicis matricibus, & originalibus fidei conspiraverit, Ecclesia vero Catholica hoc super capite, sicut & in aliis omnibus suæ

fidei dogmatibus doctrinam ab Apostolis acceptam teneat; quam Apostoli a Christo acceperunt, sequitur, Ecclesiam Catholicam præscripsisse, proindeque Dissidentibus fas non esse contra eam obloqui, imo eos repellendos, ut Juristæ ajunt, a limine Judicii.

29. (*Confirmatur ex S. Iræneo*). Quam regulam tenens etiam *S. Irenæus* vir Apostolicus, S. Polycarpi discipulus, natione Græcus, qui pariter II. Sæculo æræ Christianæ floruit, quique ad Episcopatum Lugdunensem evectus omnium Orientalium Ecclesiarum traditiones ad Occidentem attulit; tenens, inquam, *S. Irenæus*, ad maximam, & antiquissimam Romanam Apostolicam Ecclesiam, ejusque Summos Pontifices provocat, & confugit. Ait enim *lib.* 3. *advers. hæres. Cap.* 3. „ Maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam omnibus fidem per successionem Episcoporum venientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præter quam oportet, colligunt „ & paulo inferius „ Ad hanc enim Ecclesiam propter *potentiorem* (seu ut alii legere, sed non bene, volunt, *potiorem*) *principalitatem* necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui undique sunt fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio „. Quibus S. Irenæi prolatis verbis ita argumentatur solidissime *Cl. Petrus Ballerini de vi, & Primatu Romani Pontificis Cap.* 13. „ Cognita ergo traditione, ac doctrina fidei Romanæ Ecclesiæ ab ejus Pontificibus adiscenda, omnium Catholicarum Ecclesiarum, ac universæ Ecclesiæ traditio innotescit, quia certum est omnes cum ea, vi Primatus, in negocio fidei convenire oportere, & ex necessaria fidei unitate in ea *semper conservatam fuisse ab his, qui sunt undique* (idest ab omnibus vere fidelibus totius orbis Ecclesiis) *eam, quæ ab Apostolis est traditio* „.

30. (*Quicumque effutiat contra id, quod docet Ecclesia*

Catholica in anathema incidit). Si ergo secundum *Tartullianum* (*ubi supra Cap. XXI.*) ea doctrina veritati deputanda, quæ cum Ecclesiis Apostolicis matricibus conspiret, utpote tenens sine dubio quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit; contraria autem doctrina de mendacio præjudicanda est: Juxta *Irenæi* vero catholicam sententiam, ad Ecclesiæ Romanæ fidem, omnem confugere Ecclesiam necesse est; scilicet non solum Occidentalem, sed etiam Orientalem, & omnes, qui undique sunt fideles ad eam convenire oportet, in qua conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio; patet quod quicumque evangelizaverit præter id, quod ab Ecclesia Catholica, in qua principalis, & maxima est Romana Ecclesia, evangelizatum est, anathema sit; & quicumque eamdem Catholicam Ecclesiam quæ sacri depositi fidei custos est fidelissima, Columna, & firmamentum veritatis, non audierit, debeat nobis esse sicut ethnicus, et publicanus. In anathema ergo incidit Photius, incidit Cerularius, incidunt quicumque eos audiunt, et sequuntur.

31. (*Serio id animadvertere debet quisquis a fide Ecclesiæ Catholicæ alienus vivit*). Intelligite, ac serio cogitate quotquot estis, qui novis doctrinis ab hominibus inventis, hoc est, erroribus, ac mendaciis, aures præbentes a Romani Pontificis fide, et communione sejuncti estis, horrendum esse incidere in anathema, quod Deus ipse per os *Pauli* (*Galat.* 1. 8. 9.) pronunciavit „ Sed licet nos, aut Ange„ lus de Cælo evangelizet vobis præter quam quod evange„ lizavimus vobis, anathema sit: Sicut prædiximus, et „ nunc iterum dico: Siquis vobis evangelizaverit præter id, „ quod accepistis, anathema sit „ Quapropter ad Catholicam Ecclesiam accedite, captivantes intellectum in obsequium fidei, ut illam lætitia magna afficiatis, et vestrum ipsorum salutem operemini.

32. (*Hæc sint Proœmii loco*). Quæ hucusque diximus satis sunt absque dubio ad convincendum Supremam esse Romani Pontificis auctoritatem, & jurisdictionem in universum Orbem; Verum ut ostendamus, alias probationes nobis suppetere multas, tum ex Sacris Scripturis, tum ex traditione, tum etiam ex rationibus theologicis, dicta sint ista

Proœmii loco; unde descendimus ad statuendas Propositiones.

PROPOSITIO I.

S. Petrum Apostolorum Principem constituit D. N. Jesus Christus, eique tradidit plenam potestatem pascendi, regendi, & gubernandi universam Ecclesiam.

Probatur ex Sacris Scripturis.

I. (*Primatum S. Petri probant verba D. N. J. C. Matthæi 16. 16.*) Apostolos Dominus N. J. C., quid de se homines opinentur interrogat; & tamdiu sermo respondentium communis est, quamdiu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur. At, ubi quid habeat sensus discipulorum exigitur, primus est Petrus in Domini confessione, qui primus est in Apostolica dignitate, Qui cum dixisset: „ Tu es Christus Filius Dei vivi „ respondit ei Jesus „ Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædicabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam „ (*Matth. 16. 16. seq.*) Hæc verba, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* ad singularem *Petri personam*, non vero *ad ejus confessionem, aut ad Christum ipsum, directe, & ad litteram* referenda esse tota series contextus evidenter ostendit. Nam verba præcedentia: *Beatus es Simon &c., & ergo dico tibi &c.* respiciunt singularem Petri personam; ergo & sequentia *& super hanc petram &c.*, quæ loro coronidis adjecit Christus, ad ipsam quoque pertinent Petri personam. *Petra* enim hoc loco idem est ac Petrus; unde legi etiam posset: *Tu es Petrus, & super hunc Petrum ædificabo Ecclesiam meam*. Nam, ut *ad Matthæi Cap. 16. 18. tradunt Interpretes*, in lingua Hæbraica, vel Chaldaica, in qua Matthæum scripsisse perhibent, non est discrimen masculini, & fæminini generis, ut est in Græco. In Græco autem Πετρος nomen & proprium est Personam dicens, & appellativum Petram significans: Potuit ergo græcus Interpres dicere *συ ει Πετρος, ϗ επι ταυτω τω Πετρω &c.*,

& non, επι ταυτη τη Πετρα: Sed primo loco Πετρος dixit genere masculino, quia de Petro viro loquebatur, qui proinde vocabulo masculino videbatur signandus; secundo vero loco Πετρα dixit, quia de illo ut Petra fundamentali loquebatur. Hujusmodi autem lapides Πετραι potius a græcis dicuntur fæminino genere, quam Πετροι masculino. Sed pluribus non est necesse, quum ipse Redemptor Dominus dignatus sit declarare, quod super Petrum ædificaret Ecclesiam suam, & hoc pacto interpretari verba, quæ refert S. Matthæus „ *& super hanc petram &c.* Nam cum Andreas frater Simonis adduxisset eum ad Jesum (*Joann.* 1. 42.), intuitus Jesus dixit „ *Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas* (*quod interpretatur Petrus*) „ Verbum autem *Cephas* Syrum est significans Petrum, non quidem simpliciter, sed *à Petra*. *Petra* igitur cum sit Christus Petrum *petram* fecit, ideoque *Petrum a petra* vocavit, ut intelligeremus, super eum velle se Ecclesiam ædificare.

II. (*Petri Personam esse Petram, super qua Christus fundavit Ecclesiam constans est SS. Petrum sententia*). Revera SS. Patres Græci, & Latini communi suffragio *Petrum esse illam Petram* asserunt super quam Ecclesia fundata sit.

1. (*Tertulliani*, *sæc.* 2.) Tertullianus (sæc. Christi II.) de Præscription. cap. 22. „ Latuit aliquid Petrum, „ ædificandæ Ecclesiæ petram dictum? „

2. (*Origenis*, *sæc.* 3.) Origenes (sæcul. III.) „ Homil. „ 5. in Exod. §. 4. (edit. Maurin. To. 2. pag. 145.) de Pe- „ tro ait „ magnum fundamentum, & petra solidissima, „ super quam Christus fundavit Ecclesiam „; *& in Cap.* 6. „ *Epist. ad Rom.* infra referen.

3. (*S. Hyppoliti Episcopi*, *& M.*, *sæc.* 4.) S. Hippolytus Episc., & M. (Arabs. sæc. III.) Serm. in S. Theopha- „ nia apud Galland. Bibliot. Tom. 2. pag. 491. n. 9. „ Per „ hunc Spiritum Petrus beatam illam vocem effatus est: Tu „ es Christus Filius Dei vivi. Per hunc Spiritum firmata „ Ecclesiæ Petra est „:

4. (*S. Cypriani*, *sæc.* 4.) S. Cyprianus (sæc. III.) Epist. 40. „ Deus unus est, & Christus unus, & una Ec- „ clesia, & Cathedra una super Petrum Domini voce fun- „ data „; & Epist. 57. „ Petrus, super quem ædificata a

„ Deo fuerat Ecclesia, unus pro omnibus loquens, & Ec-
„ clesiæ voce respondens ait: Domine ad quem ibimus?
„ & Epist. 71. „ Petrus, quem primum Dominus elegit,
„ & super quem ædificavit Ecclesiam „.

5. (*S. Basilii Magni*, *sæc.* 4.) „ S. Basilius Magnus
„ (Græcus sæc. IV.) advers. Eunom. lib. 2. §. 4. „ Illico
„ per hanc vocem *Petrus*, intelligimus Jonæ filium . . . .
„ Qui quoniam fide præstabat, Ecclesiæ ædificationem in
„ seipsum recepit „.

6. (*S. Gregorii Nazianzeni*, *sæc.* 4.) „ S. Gregorius Na-
„ zianzenus (Græcus sæc. IV.) Orat. 26. de moderat. in
„ Disput. servan.: „ Vides, quemadmodum ex Christi di-
„ scipulis, magnis utique omnibus, & excelsis, atque ele-
„ ctione dignis, hic Petra vocatur; atque Ecclesiæ funda-
„ menta in fidem suam accipiat „.

7. (*S. Gregorii Nysseni*, *sæc.* 4.) „ S. Gregorius Nys-
„ senus (Græcus sæc. IV.) Opusculo, cui titulus „ Lau-
„ datio altera S. Stephani, „ edito à Gallandio Bibliot.
„ To. 6. pag. 600. „ Celebratur Petri memoria, qui Apo-
„ stolorum est Caput, & una quidem cum ipso cætera Ec-
„ clesiæ membra glorificantur: Dei vero Ecclesia in ipso
„ solidatur. Hic enim juxta prærogativam sibi a Deo con-
„ cessam, firma, & solidissima Petrà est, super quam Sal-
„ vator Ecclesiam ædificavit. „ Et serm. 2. de S. Stephano
(edit. Zaccagn. p. 339., 343., 344.) Nyssenus B. Petrum
„ dicit „ Apostolorum Principem, & Apostolici Chori Co-
„ ryphæum „ a Deo designatum, in quo „ Dei Ecclesia soli-
„ datur, qui, juxta prærogativam sibi a Domino concessam
„ firma, & solidissima Petra est, super quam Salvator Ec-
„ clesiam ædificavit, cujus fides firma est, & totius simul
„ Ecclesiæ firmamentum „.

8. (*S. Jacobi Nisibeni*, *sæc.* 4.) S. Jacobus Nisibis Epi-
„ piscopus in Perside (sæc. IV.) Respons. ad Epist. S. Gre-
„ gorii Illuminatoris apud Galland. Bibliot. To. 7. pag. 111.
„ n. 13. „ Et Simon, qui Petra vocatus est, propter fidem
„ suam merito vocatus est petra „.

9. (*S. Joann. Chrysostomi*. *sæc.* 4.) „ S. Joannes Chry-
„ sostomus (Græcus sæc. IV.) Homil. 2. de Pænit. in Psalm.
„ 50. „ Columna illa Ecclesiæ, illa fidei basis, illud Apo-

„ stolici Chori caput, Petrus, an non semel &c. „; Homil. de decem mille talen. debit. n. 3. (Tom. 3. p. 4. edit. Montfaucon. Parisien.) S. Petrum appellat „ Chori Apostolici „ Principem, os discipulorum, Columnam Ecclesiæ, firma„ mentum fidei, confessionis fundamentum, Orbis terra„ rum piscatorem, qui genus nostrum ex profundis erro„ rum in Cælum adduxit „ *Et Homil. ult. in Joann.* advertit, S. Paulum singulariter invisere voluisse S. Petrum, & hunc illi honorem exhibere, *quia Apostolorum vertex erat* „.

10. (*S. Epiphanii, sæc.* 4.) „ S. Epiphanius (Palæ„ stinus sæc. IV.) haeres. 59. „ Princeps Apostolorum Pe„ trus, ... ; qui quidem solidae petrae instar nobis „ extitit, cujus veluti fundamento Domini fides innititur, „ supra quam Ecclesia modis omnibus extructa est. In pri„ mis quidem, quod Christum Dei vivi filium esse confes„ sus est, idque vicissim audiit: Supra hanc solidae fidei „ petram aedificabo Ecclesiam meam „.

11. (*S. Ephræm Syri, sæc.* 4.) „ S. Ephræm Syrus „ Ecclesiæ Edessenæ Diaconus (Græcus sæc. IV.) Serm. „ de Transfigurat. (Bibliot. Combefis. To. 7. pag. 583.) de verbis loquens S. Petri, *Bonum est nos hic esse* „ Dominum introducit respondentem his verbis „ Si hic manse„ rimus, quæ dixi tibi quomodo fient? Ecclesia quomodo „ ædificabitur? Claves Regni Cælorum quomodo a me ac„ cipies? Quem ligabis? quem solves? . . . . Simon mis„ sus est ad fundandam in Mundo Ecclesiam, & vult face„ re in Monte tria tabernacula „?

12. (*S. Asterii Amaseæ Ponti Episcopi, sæc.* 4.) „ S. Asterius Amaseæ Ponti Episcopus (Græcus sæc. IV.), cujus testimonia laudata sunt *in VII. Synodo Generali Action.* 4., *&* 6. (nec non *ab Hadriano I. Summo Pontif. lib. de Imaginibus, Homil. in Sanctos Principes Apostolos Petrum, & Paulum* (in fin. To. I. Opp. S. Prosperi edit. Venet. 1747.) „ Quin & rursus Unigenitus, uti Sacris Evangelii libris „ conscriptum est, Petrum Ecclesiæ fundamentum dicit: „ „ Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam „ meam „ . . . . sed & simili quoque Salvator noster appel„ latione (fundamenti) primum suum discipulum hone-

„ standum duxit, nominans fidei petram. Per Petrum er-
„ go, verum, ac fidelem pietatis Doctorem effectum, Ec-
„ clesiarum stabilis, inflexaque firmitas consistit „; & in-
„ fra „ Cum ergo Salvator sponte assumpta morte huma-
„ num genus sanctificaturus esset, ceu peculiare quoddam
„ depositum, ac peculium, universalem, ac toto Orbe dif-
„ fusam viro huic commendat Ecclesiam: ubi cum tertio
„ interrogasset illum: „ Amas me? „ Cumque is multa ala-
„ critate singulis interrogationibus totidem professiones ad-
„ jecisset, Mundi curam accepit, velut unum gregem unus
„ Pastor; quibus audivit „ Pasce Agnos meos „ fereque
„ sui loco dedit Dominus fidelissimum Discipulum in Pa-
„ trem, Pastoremque, ac Magistrum his, qui essent ac-
„ cessuri ad fidem „ Poteratne clarius S. Asterius de Primatu
S. Petri in universas Orbis Ecclesias loqui?

13. (*S. Ambrosii, sæc. 4.* „) S. Ambrosius (sæc. IV.)
in Hymno, quem in Sacris Officiis canit Romana Eccle-
„ sia „ Hoc (gallo), ipsa Petra Ecclesiæ, canente, cul-
„ pam diluit. „ & in Psalm. 40. num. 30. (edit. Maurin.
Venetiis 1748.) „ Tu es Petrus, & super hanc Petram ædi-
„ ficabo Ecclesiam meam „ Ubi ergo Petrus ibi Ecclesia;
„ ubi Ecclesia ibi nulla mors, sed vita æterna „; & de Fi-
„ de lib. 4. cap. 5. n. 56. „ Quem (Petrum) cum Petram
„ dixit, fundamentum Ecclesiæ indicavit „.

14. (*S. Hilarii Pictavien., sæc. 4.*) „ S. Hilarius Pi-
„ ctavien. (sæc. IV.) Can. 26. in Matthæum „ Oh, in
„ nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum,
„ dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, &
„ tartari portas, & omnia mortis claustra dissolveret! Oh,
„ beatus Cæli janitor, cujus arbitrio Claves æterni aditus
„ traduntur, cujus terrestre judicium præjudicata auctoritas
„ sit in Cælo! &c. „

15. (*S. Optati Milevitani*) „ S. Optatus Milevitanus
„ (sæc. IV.) lib. 2. con. Parmenian. „ Igitur negare non
„ potes, scire te, in Urbe Roma Petro primo Cathedram
„ esse conlatam, in qua sederit omnium Apostolorum Ca-
„ put Petrus: Unde & Cephas (hoc est Petrus a Petra, seu
„ petra ingens) appellatus est „.

16. (*S. Gaudentii a Brixia sæc. 4.*) „ *S. Gaudentius*

a Brixia (sæc. IV.) *apud Combefis. Bibliot. Tom.7. pag.202.*) de SS. Petro, & Paulo loquens, relata promissione primo facta „ Tu es Petrus &c. „ inquit „ Super unum (Petrum) „ fundatur Ecclesia : Alter pretiosum fidei murum doctrina „ sua portat in populo „ .

17. (*S. Paulini Nolani, sæc. 4.*) „ S. Paulinus Nolae „ Episcopus (sæc.IV.) Epist. ad Severum „ Petra est Christus „ . Bibebant enim de spiritali, sequente eos petra ; „ petra autem erat Christus „ : Etiam discipulo suo hujus „ vocabuli gratiam non negavit, cui dicit : super hanc pe„ tram aedificabo Ecclesiam meam, & portae inferi non „ praevalebunt adversus eam „ .

18. (*S. Cyrilli Alexandrini, sæc. 5.*) „ S. Cyrillus Alexandrinus (Graecus saec. V.) *lib. 2. in Joan. cap.* 12. ; haec de Christo scribit : „ Discipulum instruit . . . . nec Simon „ fore jam nomen sibi, sed Petrus praedicit ; vocabulo „ ipso commode significans, quod in eo tamquam in petra, „ lapideque firmissimo suam esset aedificaturus Eccle„ siam „ .

19. (*S. Isidori Pelusiotæ, sæc. 5.*) *S. Isidorus Pelusiota* (Ægyptius saec. V.) *lib. 1. epist.235. Sereno* (*Edit. P. Andr. Schotto*) „ Non ea de causa Christus, qui pectus ipsum „ penetrat, ex discipulis suis percontabatur, *quem me di„ cunt homines esse*, quod variam hominum de se opinionem „ ignoraret; sed ut hac ratione certam omnibus confessionem „ traderet, quam ab eo inspiratus Petrus, tamquam basim, „ ac fundamentum jecit, super quod Dominus Ecclesiam „ suam exstruxit „ .

20. (*S. Leonis M., Sæc.5.*) S. Leo Magnus (Sæc. V.) „ Serm. III. De Natali ipsius Cap.3. (edit. Baller. 1753. „ pag.12.) Manet ergo dispositio veritatis, & B. Petrus in „ accepta fortitudine petræ perseverans suscepta Ecclesiæ „ gubernacula non reliquit : Sic enim præ cæteris est ordina„ tus, ut dum petra dicitur, dum fundamentum pronuntia„ tur . . . . qualis ipsi cum Christo esset societas per ipsa „ appellationum ejus misteria nosceremus „ & Epist. 28. ad Flavianum Episcopum Constantinopolitanum, quæ in Concilio Generali Chalcedonen. acclamata fuit, Cap.V. n.57. (cit. edit. Baller.) „ Nec immerito (Petrus) beatus

„ est pronuntiatus a Domino , & a principali Petra soliditatem & virtutis traxit, & nominis; qui per revelationem Patris eumdem & Dei Filium est confessus, & Christum: Et Epist.10. ad Episcopos per Viennen. Provinciam constitutos (edit. Ballerin. Tom.1.) „ .

21. (*S.Hieronymi* , *Sæc.* 5.) S. Hieronymus (Sæc. V.) lib. 1. adversus Pelagian. Cap.4. (edit. Vallars. To.4. p.491. par.2.) „ Ut Plato princeps Philosophorum , ita Petrus Apostolorum fuit, super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est, quæ nec impetu fluminis, nec ulla tempestate concutitur „ Et Epist. ad Marcellum clas.2. Epis.41. „ Si igitur Apostolus Petrus, super quem Dominus ædificavit Ecclesiam suam &c. „

22. (*S.Augustinus* , *Sæc.5.*) S. Augustinus (Sæc. V.) in Psalm. 69. „ Petrus , qui paulo ante Christum confessus erat Filium Dei; & in illa confessione appellatus erat petra, supra quam fabricaretur Ecclesia, paulo post &c. „

23. (*S. Maximi Taurinensis* , *Sæc.5.*) S. Maximus Taurinen. (Sæc. V.) Sermon. 64. de Natali SS. Apost. Petri , & Pauli , edit. Romanæ 1784. „ Diximus frequenter , ipsum Petrum Petram a Domino nuncupatum , sicut ait „ Tu es Petrus &c. Si ergo Petrus Petra est, supra quam ædificatur Ecclesia , recte prius pedes sanat, ut sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet „ .

24. (*S. Prosperi* , *vel alterius* , *qui est A. libror. de Vocat. Gent.*) S. Prosper, vel quisquis Auctor est librorum de Vocat. Gentium S. Prospero *Aquitanico* inscriptorum *lib.* 2. *cap.*28. *de* S. Petro ait : „ Quis ergo ambigat , quis ignoret, hanc fortissimam Petram , quæ ab illa principali Petra communionem & virtutis sumpsit , & nominis, hoc desiderium semper habuisse, ut ei moriendi pro Christo constantia donaretur „ .

25. (*S. Bonifacii PP. Sæc.* 5.) S. Bonifacius I. PP. (Sæc. V.) *cui S. Augustinus* testimonia obsequii plurima detulit, quique a *S. Prospero lib.*1. *cont. Collat. cap.*21. qua doctissimus Pontifex celebratur, *Epist.*15. Rufo , & cæteris Episcopis per Macedoniam , Achajam &c. penes Constant. num.1. „ Manet, Beatum Apostolum Petrum per senten-

„ tiam Dominicam universalis Ecclesiæ ab hoc sollicitudo „ suscepta, quippe quam, Evangelio teste, *in se noverit* „ *esse fundatam*: nec umquam ejus honor vacuus potest es- „ se curarum, cum certum sit summam rerum ex ejus de- „ liberatione pendere „; *&* *num.* 40. relatis verbis „ Tu es „ Petrus, & super hanc petram &c. „ ait „ quicunque igitur „ cupit etiam ante Deum nostrum Sacerdotii dignitate cen- „ seri: quoniam ad Deum, Petro suscipiente, pervenitur, „ in quo Ecclesiam, sicut supra memoravimus, universa- „ lem certum est esse fundatam, debet esse mitis, & hu- „ milis corde „.

26. (*S. Felicis PP. III.*, *Sæc.* 5.) S. Felix PP. III. (Sæc. V.) *Epist. IV. ad Zenonem Imp.*, in qua probat, & commendat Catholicam doctrinam, quam Augustus in suis Epistolis expresserat, inquiens „ Cujus etiam litterarum „ me refovet intentio, qua, sicut decet Christo placere „ nitentem, & Summum Apostolorum B. Petrum, & pe- „ tram Fidei esse non tacuit, & eidem Mysteriorum claves „ creditas fuisse cælestium prudenter struxit „ (nempe Augustus). Tam fixa erat etiam in Orientalium animis persuasio, quod Petrus sit ea petra, super quam Christus ædificavit Ecclesiam suam, ut Imperator hoc firmissime teneret, quod etiam Episcopus Constantinopolitanus Flavita expressis verbis fassus fuerat in litteris, quas eidem S. Felici III. dederat in negocio Acacii.

27. (*Legati S. Celestini PP. in Concilio Generali Ephesino probante Synodo*, *Sæc.* 5.) *In Concilio Ephesino Generali III. sub S. Cælestino PP.* celebrato (*Sæc. V.*) postquam *Actione III.* Legatis Apostolicis communicata fuit Sententia depositionis Nestorii a Patribus Concilii lata ante ipsorum Legatorum adventum, Philippus S. Cælestini Legatus dixit „. Nulli dubium; immo sæculis omnibus notum est, „ quod Sanctus, Beatissimusque Petrus Apostolorum Prin- „ ceps, & Caput, fideique columna, & Ecclesiæ Catholi- „ cæ *fundamentum* a D. N. J. C. Salvatore humani generis, „ ac Redemptore claves Regni accepit, solvendique, ac li- „ gandi potestas ipsi data est &c. „ Cum autem Philippus dicendi finem fecisset: „ Sancta Synodus dixit: „ Cum . . . . & Philippus Presbyter, &

„ Apostolicæ Sedis Legatus consentanea sint locuti, con„ sequens est &c. „.

28. (*Paschasini Episcopi Lilibetani in Concilio Generali Chalcedonensi, Patribus subscriptione firmantibus, Sec.5.*). *In Synodo Chalcedonensi Generali IV. sub S. Leone Magno* (*Sæc. V.*) Episcopus Lilibetanus Paschasinus, nomine ejusdem S. Leonis sententiam contra Dioscorum ferens (*Act.III.*) ita ait „ Unde SSmus, & Bmus Archiepiscopus „ magnæ, & senioris Romæ Leo, per nos, per præsen„ tem S. Synodum, una cum ter Bmo, & omni laude di„ gno B. Petro Apostolo, qui est *Petra, & crepido Catho„ licæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum &c.* „. Quæ sententia nedum voce probata fuit a Concilii Patribus, sed & omnium subscriptionibus, initio ducto ab Anatolio Constantinopolitano, & Maximo Antiocheno Patriarchis.

29. (*S. Gregorii Magni, Sæc.6.*) S. Gregorius Magnus (Sæc. VI.) Epist. ad Eulogium Alexandrinum Regest. lib.7. Epist.40. „ Quis enim nesciat, S. Ecclesiam in Apo„ stolorum Principis soliditate firmatam, qui firmitatem „ mentis traxit in nomine, ut Petrus a petra vocaretur, „ cui veritatis voce dicitur „ Tibi dabo claves Regni Cæ„ lorum „?

30. (*Pelagii II. PP., Sæc.6.*) Pelagius II. (Sæc. VI.) Epist. ad Ecclesiam, & Episcopos Istriæ „ Considerate, „ Carissimi, quia Veritas mentiri non potuit, nec fides Pe„ tri in æternum quassari poterit, vel mutari. Nam cum „ omnes Discipulos diabolus ad excribrandum poposcerit, „ pro solo Petro se Dominus rogasse testatur, & ab eo vo„ luit cæteros confirmari, cui etiam pro majori dilectione, „ quam præ cæteris Domino exhibebat, pascendarum „ Ovium sollicitudo commissa est; cui & claves Regni Cæ„ lorum tradidit, & super quem Ecclesiam suam ædifica„ turum promisit, nec portas inferi adversus eam præva„ lere testatus est „.

31 (*Sacramentarii S.Gregorii, Sæc.6.*) In Sacramentario S. Gregorii sub die 22.Febru. (Tom. 3. Opp. edit. Maurinor. Col. 29.), relato a Card. Baronio ex vetustissimo Cod. Vaticano in Not. ad Martirologium Romanum die 18. Janu. „ Vere dignum, & justum est &c. Te laudare mira-

„ bilem in Sanctis tuis . . . . ex quibus B. Petrum Aposto- „ lorum Principem ob confessionem Unigeniti Filii tui, „ per os ejusdem Verbi tui confirmatum in fundamento Do- „ mus tuæ, mutato nomine, cælestium claustrorum Præ- „ sulem, custodemque fecisti, divino ei jure concesso, ut „ quæ statuisset in terris, servarentur in Cælis „.

32. (*S. Isidori Hispalensis*, *Sæc.* 7.) S. Isidorus Hispalensis (Sæc. VII.) de Offic. Eccles. lib. 2. cap. 5. „ In novo „ Testamento post Christum Sacerdotalis Ordo a Petro Apo- „ stolo cæpit. Ipsi enim primus Pontificatus datus est in „ Ecclesia Christi. Sic enim loquitur ad eum Dominus: „ Tu es Petrus, & super hanc petram &c.

(33. *Hadriani I. PP.*, *Sæc.* 8.) Hadrianus I. PP. (Sæc. VIII.) Epist. ad Carolum Regem (apud Labbæum To. 8. col. 1553.): Quæ Epistola cum lecta fuisset in Concil. Generali VII. Nicæno II. Actione II. S. Synodus dixit „ Tota „ sacratissima Synodus ita credit, ita sapit, ita dogmati- „ zat. „: Cumque Legati interrogassent Concilium, utrum admitteret Pontificis Romani litteras: „ S. Synodus dixit: „ sequimur, suscipimus, & admittimus „: Ait igitur Hadrianus „ Evangelium scientibus liquet, quod voce dominica San- „ cto, & omnium Apostolorum Principi Petro claves Regni „ Cælornm, & totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi „ quippe dicitur „ Petre amas me? Pasce Oves meas „ Ipsi „ dicitur „ Ecce Satanas expetivit cribrare vos sicut triti- „ cum: & ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides „ tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos „ „ Ipsi dicitur „ Tu es Petrus, & super hanc petram ædifica- „ bo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt „ adversus eam, & tibi dabo claves Regni Cælorum &c. „ „ Ecce cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur „ „ & in fine ejusdem Epistolæ „ Olitanam traditionem San- „ ctæ, Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ tenen- „ tes, priscam Prædecessorum nostrorum SS. Pontificum „ sequimur doctrinam, rectæ fidei traditionem modis om- „ nibus vindicantes „.

34. (*S. Joannis Damasceni*, *Sæc.* 8.) S. Joannes Damascenus (Græcus Sæc. VIII.) in Sacris Parallellis To. 2. (edit. Le Quien. pag. 591.) „ Ac perspicias velim, quemnam Vi-

„ rum incidere in peccatum sinat : Petrum illum Cory-
„ phæum Apostolorum, firmum fundamentum, infractam
„ petram „.

35. (*S. Nicolai I. PP. Magni* , *Sæc.9.*) S. Nicolaus I. PP., dictus merito *Magnus*, (Sæc.IX.) *quem VIII. Oecumenica Synodus* cælestem hominem, & terrestrem Angelum, atque alterum Eliam dixit, ac novi Phinees, novi Danielis, novi Martini nomine commendavit (*Act.1. & 7. apud Harduin. Tom.5. Concilior. pag.757. 763. & 873.*), *Epistola* ad Photium data (inter ejus Epistolas Ord. VI.) „ Constat,
„ S. Romanam Ecclesiam per B. Petrum Principem Aposto-
„ lorum, qui Dominico ore primatum Ecclesiarum suscipe-
„ re meruit &c. „ : *Et Epist.VIII. ad Michaelem Imperatorem* loquens de Privilegio B. Petri, *quem Christi vox prætulit universis*, inter cætera refert sententiam S. Bonifacii I. PP. superius relatam, in qua ille vocem *Petræ* de singulari Petri persona interpretatur „.

36. (*S.Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani*, *Sæc.9.*) S.Ignatius PatriarchaConstantinopolitanus (Græcus Sæc.IX) Epist. ad S.Nicolaum I. PP. probata ab eadem Synodo Generali 8., quæ extat Action.III. Synodi ipsius : „ In mem-
„ bris . . . . Christi Dei, ac Salvatoris omnium, Capitis,
„ ac Sponsi Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, unum tan-
„ tum, ac solum selectum, ac universalissimum Medicum,
„ tuam nempe Fraternam, Paternamque Sanctitatem, Su-
„ premum, & fortissimum Dei Verbum constituit, cum
„ Petro Supremo, sanctissimoque Apostolorum vertici di-
„ xit : *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Eccle-*
„ *siam meam &c.*, & rursus „ : *Tibi dabo &c.* Hujuscemodi
„ enim beatas voces non soli Apostolorum Principi privata
„ quadam sorte transcripsit, & assignavit, sed per Ipsum
„ ad omnes Romanæ Sedis Pontifices illi successuros trans-
„ misit &c. „.

37. (*Benedicti VII. PP.*, *Sæc.10.*) Benedictus VII. PP. (Sæc. X.) Epist. ad Episcopos Germaniæ, ad Othonem Imperatorem, & ad Henricum Ducem Bavariæ „ Oportet ju-
„ stis supplicationum petitionibus Nos semper faciles, &
„ humiles exhibere : & præcipue cum fraternis religiosorum
„ Consacerdotum precibus sollicitamur, qui passim ab

„ omni Mundi termino tenorem, & regulam, atque proprii „ Officii vigorem ab hac universali S. Romana Ecclesia, „ ejusque sortientur ministro, Vicario scilicet B. Petri Prin- „ cipis Apostolorum; cujus quamvis indigni, ejusdem ta- „ men gratia, & dono potestati successimus, & Ordini, „ cui voce Dominica dicitur „ Tu es Petrus, & super hanc „ petram &c.

38. (*Ratherii Veronensis Episcopi, Sæc.*10.) *Eodem* autem *Sæc. X. Ratherius Veronensis Episcopus*, cum Romanos Pontifices tradiderit, Supremam Auctoritatem habere in universam Ecclesiam, multo fortius censuit, S. Petrum Principem fuisse Apostolorum, & Petram, super quam ædificavit Christus Ecclesiam: Unde apparet, quæ apud omnes eo ævo esset de Primatu B. Petri communis persuasio. Habemus *Itinerarium Ratherii Romam euntis Tom.*2. *Spicilegii Lucæ Dacherii* in quo hæc ille habet „ Postremo nusquam ratum, quod „ illic (Romæ) irritum; nusquam irritum, quod illic ra- „ tum fuerit visum. Ubi nam ergo insipientiæ consulitur „ meæ, quam ubi fons Sapientiæ cernitur esse? „

39. (*S.Leonis IX. PP.*, *Sæc.* 11.) S.Leo IX. (Sæc. XI.) Epist.I. num.7. (apud Labb. To.XI.) „ Taliter S. Ecclesia „ super petram, idest Christum, & super Petrum, vel „ Cepham filium Joannis, qui prius Simon dicebatur, ædi- „ ficata: & infra num.15. Vix ab homine testimonium ac- „ cipimus, contenti testimonio illius, qui de cælo venit, „ & super omnes est, & dicit; *Tu es Petrus*, *& super hanc* „ *Petram &c.* Qui etiam in Catalogo Apostolorum instar „ Cardinis ab ipso Domino Jesu Christo primus positus, „ Petrus, idest, Cephas extat cognominatus „.

40. (*S. Petri Damiani*, *Sæc.* 11.) S. Petrus Damianus (Sæc. XI.) „ De S. Petro Serm. 1. (Bibliot. Combefis „ Tom. 7.) Unus est enim, quem prænobilitant singularis „ Primatus insignia, Clavicularius Regni, Cælorum lin- „ gua, fidei fundamentum „

41. (*Innocentii II.*, *Sæc.* 12.) Innocentius II. PP. „ (Sæc. XII.) Epist. ad Willelmum Hierosolym. Patriar- „ cham penes Labb. „ Magisterium totius Ecclesiæ, & Ec- „ clesiasticæ institutionis B. Petro Apostolorum Principi

„ cælesti privilegio esse conlatum, Evangelica declarat au-
„ ctoritas „

42. „ (*S. Thomæ Aquinatis Sæc.13.*) S. Thomas (Sæculo XIII.) 3. par. qu. 37. artic. 2. „ Nomina autem, quæ imponuntur aliquibus divinitus, semper significant aliquod gratuitum donum eis divinitus datum: sicut Gen.17. dictum est Abraæ *appellaberis Abraham*, quia Pater multarum gentium constitui te: Et Math. 16. dictum est Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* „

43. „ (*S. Bonaventuræ, Sæc. 13.*) S. Bonaventura (Sæc. XIII.) exposit. Regul. Fr. Min. Cap. 1. „ Petrus a petra dictus, a Domino positus est Ecclesiæ fundamentum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* „

III. (*Pro fœcunditate S. Scripturæ verbum Petra interpretari etiam potest de D.N.J.C., vel de fide, & confessione S. Petri; sed litteralis expositio est de Persona ipsius Petri*) Novimus, SS. Patres nonnullos, præcipue a Sæculo Ecclesiæ V., *Petram*, super quam ædificare velle Ecclesiam suam promisit D.N.J. Christus, interpretatos fuisse *vel de Ipso Domino Redemptore; vel de fide, & Confessione B. Petri*. Verum, ut tradunt communiter Theologi, juxta SS. Patrum sententiam mira est Sacræ Scripturæ fœcunditas, unde plures ea continet sensus, omnesque intentos a Spiritu Sancto: Quare *S. Gregor. lib.* 20. *Moral. cap.* 1. *ait* „ Sacra „ Scriptura omnes scientias ipso locutionis suæ more transcendit; quia uno, eodemque sermone dum narrat gestum, prodit mysterium „ *Viden. S. Thom.* 1. *par. qu.* 1. *art.* 10. „ Igitur, Petra est etiam Christus; petra & fides, aut confessio Petri; sed Petra est Petrus, hoc loco S. Matthæi per vocem *Petræ* significatus. Veræ proinde sunt tres istæ expositiones *vocis Petræ*, omnesque a Spiritu Sancto intentæ. Sed inter eas hoc est discrimen, quod illa, quæ de persona Petri, *immediata est, litteralis, primitiva, ab initio Ecclesiæ quatuor Sæculorum serie sola ab omnibus fere Patribus tradita, & perpetua*, cum illi Patres, qui ad Christum Dominum, aut ad fidem, & confessionem Petri verbum *Petræ* retulerunt, litteralem sensum, quo ad Pe-

trum directe refertur, non deseruerint, imo apertissime retinuerint; non enim sensus spiritualis, & mysticus litteralem sensum excludit.

(*Fides, & confessio Petri fuit causa meritoria, ob quam a Christo consecutus est dignitatem Primatus*) Sane, fides, & confessio Petri causa meritoria fuit, ob quam S. Petrus eam sit consecutus dignitatem, ut fundamentum esset Ecclesiæ; persona autem Petri subjectum fuit illius dignitatis: Cumque ratione fidei suæ indefectibilis Petrus sit Petra firmissima, totamque Ecclesiam sustentans, idem est dicere super Petrum, & super ejus fidem Ecclesiam esse fundatam. Patres ergo, qui fidem, & confessionem istam *Petram* dicunt, non negant, sed adstruunt, tacite saltem, Petri personam Petram esse: Sicuti *cum S.Hieronymus Epist.61. quæ est ad Pammachium*, scribit „ Super aquas Petri corpus „ non ambulasse, sed *fidem* „ non negat, S. Petrum vere, & realiter aquis inambulasse, sed tantum significat, non agilitati Corporis, sed virtuti fidei illud tribuendum miraculum. Ita *S. Hilarius Pictavien. Can. 26. in Matth.* „ Dignum plane confessio Petri præmium consecuta est, „ quia Dei filium in homine vidisset... O in nuncupatione „ novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque „ ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari „ portas, & omnia mortis claustra dissolveret „: „ Vere di- „ gnum est &c. (habet Sacramentarium S. Gregorii supra „ relat.) Te laudare mirabilem in Sanctis tuis.... ex „ quibus B. Petrum Apostolorum Principem ob confessio- „ nem Unigeniti Filii tui, per os ejusdem Verbi tui con- „ firmatum in fundamento domus tuæ &c. „: S. Epiphanius „ hæres. 59. pariter relatus „ Princeps Apostolorum Petrus, „ qui quidem solidæ petræ instar nobis extitit.... su- „ per quam Ecclesia modis omnibus extructa est. In pri- „ mis, quod Christum Dei vivi Filium esse confessus „ est &c. „: S. Jacobus Nisibenus Respons. ad Epist.S.Gre- „ gorii Illuminatoris (Galland. Bibliot. To. 5. part. 3. „ num. 13.) „ Et Simon, qui Petra vocatus est, propter „ fidem suam merito vocatus est petra „

(*D.N.J.C. fundamentum præcipuum est Ecclesiæ; S. Petrus vero secundum*) Ut autem ad expositionem *Textus S.Mat-*

ibat de Christo Domino gradum faciamus, negabit nemo; quod Christus fundamentum Ecclesiæ sit præcipuum propter supremam illam potestatem, quam Theologi *excellentiæ* vocant; Sanctus vero Petrus fundamentum secundum à Christo, & Christi ministeriale, ut loquuntur. Christus igitur Petra est, imo lapis angularis faciens utraque unum; sed & B. Petrus petra est, super quam Ecclesiæ ædificium fundatum est. (*Christus nomina sua cum suis Ministris communicare assolet*). Sua enim cum suis Ministris communicare nomina Christus assolet; cujus rei non unum exemplum in Sac. Scriptura; inter quæ unicum eligimus insigne, & appositum. Jacob unxit lapidem Bethel in figura Christi (*Gen*. 28.18.) : Hoc ritu vaticinatus, Christum fore lapidem, de quo Spiritus Sanctus *per Isaiam* (*cap*. 28.) dicit,, Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, la-,, pidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento ,, fundatum ,,; & nihilominus ipse Jacob benedicens Joseph illum vocat *lapidem Israel* (Gen. 49.24.). Simili ratione Redemptor Mundi nomen suum, quod est *Petra* communicavit cum S. Petro,, At Petrus dixerat jam antea (inquit S. Ba-,, silius M. Homil. de Pœnit., quæ est 28.), & Beatus ,, pronunciatus fuerat cum dixisset: *Tu es Filius Dei excel-,, si*; & vicissim audierat se esse petram, laudatus a Do-,, mino. Licet enim & ipse petra esset, non tamen petra ,, erat ut Christus. Ut Petrus petra erat. Nam Christus ,, vere est immobilis petra: Petrus vero propter petram. ,, Dignitates namque suas Jesus largitur aliis; largitur au-,, tem eas, nec illis spoliatur. Lux est: *Vos estis lux mun-,, di*, inquit: Sacerdos est, & facit Sacerdotes: Ovis est, ,, & dicit: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*: Pe-,, tra est, & petram facit. Quæ sua sunt largitur servis ,, suis,, : S. Hieronymus in cap. 16. Matt.,, Sicut ipse lu-,, men, Apostolis donavit ut lumen mundi appellarentur, ,, cæteraque ex Domino sortiti sunt vocabula: ita & Simo-,, ni, qui credebat in Petram Christum, Petri largitus est ,, nomen. Ac secundum methaphoram petræ, recte dici-,, tur ei: *Ædificabo Ecclesiam meam super te*,, : S. Paulinus ,, Nolæ Episcopus Epist. ad Severum,, Petra est Christus: ,, *Bibebant enim de spiritali sequente eos petra: petra autem*

„ *erat Christus*. Etiam discipulo suo hujus vocabuli gra-
„ tiam non negavit, cui dicit: *Super hanc Petram ædifica-*
„ *bo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt ad-*
„ *versus eam* „: S. Leo M. Epist. 28. ad Flavian. cap. 5.
„ (Tom. 1. Edit. Baller.) „ Ubi Beatus Petrus divinitus
„ inspiratus, & confessione sua omnibus gentibus profu-
„ turus: *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi*. Nec im-
„ merito beatus est pronunciatus a Domino, & a principa-
„ li Petra soliditatem & virtutis traxit, & nominis „: Ser-
„ mon. 3. De Natali ipsius cap. 3. (d. To. 1. Edit. Baller.) „
„ Sic enim præ cæteris est ordinatus (Petrus), ut dum Pe-
„ tra dicitur . . . . qualis ipsi cum Christo esset societas
„ per ipsa appellationum ejus mysteria nosceremus „: Et
„ Serm. IV. de Natali Ipsius cap. 2. „ *Et ego*, inquit, *dico*
„ *tibi* . . . . *Quia tu es Petrus*: idest cum ego sim invio-
„ labilis Petra, Ego lapis angularis, qui facio utraque
„ unum, Ego fundamentum, præter quod nemo potest
„ aliud ponere; tamen tu quoque petra es, quia mea vir-
„ tute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint
„ tibi mecum participatione communia „ S. Leo IX. su-
„ perius memorata Epistola 1. num. 7. „. Taliter San-
„ cta Ecclesia super petram, idest Christum, & super Pe-
„ trum, vel Cepham filium Joannis, qui prius Simon di-
„ cebatur, ædificata. „

(*SS. Patres illi, qui nonnumquam vocem Petræ de D. N. J. C., vel de fide, aut confessione Petri exposuerunt, sensum mysticum, aut metonymicum protulere*) Itaque Patres illi, qui aliquando vocem *Petræ* de fide, & confessione Petri, vel de Ipso Domino Servatore interpretati sunt, non litteralem sensum protulerunt, sed spiritalem, & mysticum, ac metonymicum, idest translato nomine effectus ad causam, sensum equidem verum, & a Spiritu Sancto intentum, quin tamen litteralem rejecerint de persona B. Petri. Nec gravissima Patribus illis defuit ratio, scilicet, ut Donatistas, & Arianos pluribus telis confoderent.

IV. (*S. Augustinus explicationem vocis Petræ de Persona S. Petri non rejecit; imo etiam amplexus est.*) Observandum hic est, quod S. Augustinus, qui *Ser. 13. de Verb. Domini, & Tractat. 24. in Joann.* exposuit verbum *Petram* de Christo

Servatore, nihilominus *in Psalm.* 69. de persona Petri intellexit, sicuti verba superius allata probant: Imo laudato etiam *Serm.* 13. *de Verb. Domini* Petrum vocat *primum, & præcipuum in ordine Discipulorum*, & ait, eum tenuisse *Apostolatus Principatum*. De his autem duabus expositionibus, nempe de Christo Domino, ac de persona Petri, *lib.* 1. *Retract. cap.* 21., ubi expendit quæ dixerat *libro con. Epist. Donati*, inquit, quod in hoc libro de Petro asseruit, super illum fundatam esse Ecclesiam „ qui sensus etiam can-
„ tatur ore multorum in versibus B. Ambrosii, ubi de gal-
„ lo gallinaceo ait: Hoc, ipsa Petra Ecclesiæ, canente,
„ culpam diluit „; atque addit; postea sæpissime se exposuisse de Christo: Verumtamen ita concludit „ Harum au-
„ tem duarum sententiarum, quæ sit probabilior eligat le-
„ ctor „: Hæc fuit S. Augustini aliqualis dubitatio, de qua verba facere statuimus, ne aliquo modo desimus veritati, ac sinceritati. Ast quod disputabile putavit Augustinus, ut certum habuerunt alii Ecclesiæ Patres, qui traditione non interrupta (cujus monumenta supra legi possunt) juxta litteralem sensum *de persona Petri* verbum *Petræ* exposuerunt; hæc namque expositio litteræ Sacri Textus unice convenit. At S. Augustinus ipse, cum *Petrum primum, & præcipuum in ordine Discipulorum asseruit*, atque ait, *tenuisse ipsum Apostolatus Principatum*, in sua etiam de sensu *verbi Petræ* dubitatione, non dubitavit, Petrum fuisse a Christo constitutum Apostolorum Principem, ac pro certo tenuit, a Redemptore humani generis fuisse Petrum elevatum ad sublimissimam, & participatione Divinam Dignitatem, qua vere vocaretur, & esset mystici ædificii fundamentum secundarium, ac petra, supra quam ædificavit Christus Ecclesiam suam.

V. (*Apostoli, & Prophetæ sunt fundamenta Ecclesiæ ratione doctrinæ divinitus revelatæ; solus Petrus ratione gubernationis Ecclesiæ, jure ordinario, sibi concessæ*). Neque negamus, alios etiam SS. Apostolos, imo & Prophetas esse Ecclesiæ fundamenta juxta illud Psal. 86. „ *Fundamenta ejus in montibus sanctis* „ idest in Apostolis, & Prophetis, *ut exponit S. Augustinus*; unde *ad Ephes.* 2. 20. dicitur „ su-
„ perædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophe-

„ tarum „ Verum male quis ex hoc colligeret, S. Petro non contulisse Christum singularem locum, ut esset Ecclesiæ fundamentum, ac supra cæteros Apostolos Principatum haberet. Nam Apostoli. & Prophetæ fundamenta dicuntur ratione doctrinæ divinitus revelatæ, Apostoli ita etiam appellantur, quia Ecclesias ubique fundarunt; id quod tamen Prophetis non convenit: Sed ratione gubernationis soli Petro *ordinario jure* concessum fuit a Domino Redemptore, ut Petra esset, ac fundamentum Ecclesiæ, quod aliis Apostolis datum non est,nisi *jure quodam extraordinario* s ubPetro,ut Legatis pro Christo; quodque nullo modo Prophetis tributum fuit a Domino, quemadmodum nec data ipsis a Deo est facultas fundandi Ecclesias per Orbem. Igitur *extraordinaria dignitas* aliorum Apostolorum minime contradicit *ordinario Principatui* Petri supra reliquos, sicuti dignitas Prophetarum ratione doctrinæ divinitus revelatæ non includit potestatem fundandi particulares Ecclesias, nec universalem Ecclesiam gubernandi. Quapropter iis, qui talia objiciunt respondebimus: Si Apostoli sunt fundamenta Ecclesiæ æque ac Petrus, necesse est dicere, quod & Prophetæ sint fundamenta æque ac Apostoli, quia *super fundamenta Apostolorum, & Prophetarum* Paulus dixit superædificatos esse fideles, unde particulares potuerint illi, cum in terris esset, fundare Ecclesias, ac posse nunc, & omni ævo per aliquos Successores suos universalem Ecclesiam gubernare. Quod cum & ipsi adversarii nostri portentum esse pernecesse cognoscant, fateri igitur debent, non esse simili ratione cæteros Apostolos fundamenta Ecclesiæ, qua ratione est Petrus petra, & fundamentum hujus Domus Dei. Et certe Divina Sapientia non sine mysterio ipsi soli Petro dixit „ Tu „ es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam „ meam „; nempe ut ostenderet, quod Petrum supra reliquos Apostolos Principem, ac Caput constitueret „ Licet „ (ait S. Hieronymus lib. I. con. Jovinian.) super omnes „ Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidatur: tamen „ propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite con„ stituto, schismatis tolleretur occasio.

VI. (*Primatus S. Petri probatur ex verbis Christi Matthæi 16. 18. seq.*) Verum ad alia loca Sac. Scripturæ transea-

mus. Quoniam D.N.J.Christus, qui Petra est angularis faciens utraque unum, Petrum etiam constituit Petram, *quia Petra est, & petram faciens*, ob id dedit illi Claves Regni Cœlorum, ut quæ *Ipsi sunt potestate propria*, *Petro fierent participatione communia*. En verba Domini *Matth.* 16. 18. *seq.* „ Et ego „ dico tibi, quia tu es Petrus &c., & tibi dabo Claves Regni „ Cœlorum . Et quodcumque ligaveris super terram erit li- „ gatum & in Cœlis ; & quodcumque solveris super ter- „ ram, erit solutum & in Cœlis „.

(*Primitus soli Petro dedit Christus Claves Regni Cœlorum; tum deinde ipsi, & aliis Apostolis dixit: QUÆCUMQUE ALLIGAVERITIS &c.*) Igitur soli Petro dixit primitus Christus „ *Quodcumque ligaveris super terram &c.* „ Deinde Petro simul cum aliis Apostolis dixit (*Matth.* 18. 18.) „ Amen dico vobis ; quæcumque alligaveritis su- „ per terram, erunt ligata & in Cœlo ; & quæcumque sol- „ veritis super terram, erunt soluta & in Cœlo „ Sacramentum hoc magnum est: Enimvero; num Verbum Patris, æqualis Patri, coæternus generanti, aliquid casu, aut verba superflua, seu absque significatione profundissima protulit? Id asserere impium, & blasphemum esset. Quare igitur uni Petro primum, dein iterum ipsi, & Apostolis; Apostolis autem semel tantum, non autem iterum, dedit ligandi, atque solvendi potestatem? Num quod largitus fuit antea Petro, abstulit ei, ut cæteris daret Apostolis; aut imminuit, ut aliis Apostolis redderet commune? Num pænituit Christum contulisse Petro amplissimas facultates, ideoque retractavit quod dixerat? Ast; Deus ipse certos nos fecit per os Pauli (*Rom.* 11. 29.), quod „ sine pœnitentia „ sunt dona, & vocatio Dei „.

(*Soli Petro dixit Jesus*: „ *Tibi dabo Claves &c.*). Ad hæc: Soli Petro singulariter, minime vero aliis Apostolis, dixit Dominus Jesus „ *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum* „ (*Matt.* 16.19.): *Eousque* (ait S. Serapio, laudibus a S. Athanasio exornatus, & ex Anachoreta ordinatus Episcopus Thmueos, ut idem *Athanasius* testatur *Epist. ad Dracontium*; Magno Antonio Abbati apprime charus, & pro ingenii nobilitate dictus *Scholasticus*, *libro advers. Manichæos penes Galland. Bibliot. Tom.* 5. *pag.* 52. *num.* 23.) „ Eousque progres-

„ sus est (Pætrus) ut audiret „ Tu es Simon filius Jonæ,
„ tu vocaberis Cephas „ quod nomen significat Petrum; ut
„ audiret „ Tibi dabo Claves Regni Cœlorum „.

(*Tali ratione loquutus est Jesus, ut significaret, Petrum cæteris Apostolis velle præfectum*). Quid hæc omnia significant? Quid? Nisi quod Petrum cæteris præficiebat Dominus, & Claves (idest supremam in universa Ecclesia potestatem) ipsi dabat, aliis communicandas? „ Et si (inquit Tertullianus in Scorpiaco cap. 10.) adhuc clausum putas Cœlum; memento Claves ejus hic Dominum Petro, et per eum Ecclesiæ reliquisse „ Et de præscript. Cap. 22. „ Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ Petram dictum, Claves Regni Cœlorum consecutum, et solvendi, et alligandi in Cælis, et in terris potestatem? „ S. Gregorius Nyssen. in Procem. de Judicio Dei (To: 2. pag. 221. Edit. Ducæi Parisiis an. 1638.) de S. Petro ait „ B. Petrus omnibus discipulis prælatus fuit, et ei soli majora data quam aliis sunt testimonia, qui prædicatus est beatus, eique Claves Cœlorum concreditæ sunt „. Didymus Alexandrinus lib. 2. de Trinit. cap. 18. „ Petrus Apostolorum Præsul propter puellæ minas jurejurando affirmavit, se non nosse Dominum, qui eum fecerat Cælorum Clavigerum „. S.Optatus Milevitanus lib.7. con. Parmen. cap.3. „ Bono unitatis Beatus Petrus, cui satis erat, si postquam negavit solam veniam consequeretur, et præferri omnibus Apostolis meruit, et Claves Regni Cœlorum communicandas cœteris solus accepit „: *S. Cyrillus Hierosolymit. De Monarchia Dei Catech. 6.* loquens de casu Simonis Magi efficacia precum SS. Petri, et Pauli „ Concordiæ hoc (ait) telum per orationem emittentes in Magum, dejiecerunt illum in terram. Nec mirum est: Petrus enim erat, qui Claves Regni Cœlorum portabat. Non est mirandum; Paulus enim erat, qui in tertium Cœlum raptus fuerat „ et de Resurrect. Catech. 14. „ Elias . . . . assumptus est in Cœlum, sed Petrus habet Claves Regni Cœlorum cum audierit, et *quæcumque solveris super terram erunt soluta & in Cælo* „ *&* *de Spiritu Sancto Catech.* 17. enumerans Apostolis concessa dona, de Petro dicit „ In eadem Spiritus Sancti virtute et Princeps Apostolorum, et Regni Cœlo-

„ rum Claviger Petrus „ S. Nilus Abbas Epist. 98. „ Re-
„ cordare sodes verborum Servatoris dicentis . . . . tibi Pe-
„ tre do auctoritate mea Claves Regni Cœlorum „ S. Leo
„ M. Serm. IV. de Natali ipsius Cap. 2. „ De toto mundo
„ unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium voca-
„ tioni, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patri-
„ bus præponatur: ut quamvis in populo Dei multi Sacer-
„ dotes sint, multique Pastores; omnes tamen proprie re-
„ gat Petrus, quos principaliter regit et Christus. Magnum,
„ et mirabile, dilectissimi, huic viro consortium potentiæ
„ suæ tribuit divina dignatio: et si quid cum eo commune
„ cæteris voluit esse Principibus, numquam nisi per ipsum
„ dedit quidquid aliis non negavit „; et Cap. 3. „ Propter
„ quod dicitur beatissimo Petro: *Tibi dabo Claves Regni Cœ-*
„ *lorum. Et quæcumque ligaveris super terram erunt ligata &*
„ *in Cœlis, & quæcumque solveris super terram erunt soluta &*
„ *in Cœlis*. Transivit quidem etiam in alios Apostolos jus
„ potestatis istius, et ad omnes Ecclesiæ Principes decreti
„ hujus constitutio commeavit: sed non frustra uni com-
„ mendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo
„ hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectori-
„ bus Petri forma *præponitur* „ S. Gaudentius a Brixia (Bi-
„ bliot. Combefis Tom. 7. pag. 202.) *de S. Petro* sic ait „
„ Quæ enim Dei solius propria sunt, tum nempe peccata
„ solvere. tum Ecclesiam tot, tantisque procellis, ac flu-
„ ctibus servare illaesam, ac demum hominem piscatorem
„ omni rupe firmiorem praestare, toto licet terrarum Orbe
„ impetente, haec se illi daturum pollicetur, quemadmo-
„ dum Pater cum Jeremia loquens ajebat: *Sicut Columnam*
„ *ferream, & sicut murum æneum posui te*. Sed illum qui-
„ dem uni genti, hunc autem toto ubique Orbi „: *Pela-*
„ *gius II.* PP. S.Gregorii M. Praedecessor *Epist. ad Ecclesiam,*
„ *& Episcopos Istriæ* „ Considerate, charissimi, quia Ve-
„ ritas mentiri non potuit, nec fides Petri in aeternum
„ quassari poterit, vel mutari: Nam cum omnes Discipu-
„ los diabolus ad exscribrandum poposcerit, pro solo Petro
„ se Dominus rogasse testatur, et ab eo voluit caeteros
„ confirmari, cui etiam pro majori dilectione quam prae
„ caeteris Domino exhibebat, pascendarum Ovium solli-

„ citudo commissa est, cui et Claves Regni Cœlorum tradidit, et super quam Ecclesiam aedificaturum promisit, „ nec portas inferi adversus eam praevalere testatus est „.

(*Quid velit S. Augustinus cum dicit, Petrum significasse Ecclesiam dum Claves accepit?*) Quod si *S. Augustinus Tract.* 50. *in Joann. scripsit: Petrus quando Claves accepit Ecclesiam Sanctam significavit* „; nec absimilia habet *Tract.* 124. *in Joann.*, *&* *in Psal.* 108., certe noluit dicere, Petrum, ut Ecclesiae legatum accepisse Claves a Domino, bene vero ut Ecclesiae Supremum post Christum, et sub Christo Moderatorem et Rectorem. Explicat equidem mentem suam *S. Doctor d. Tract.* 124. *in Joann.*, „Petrus (ait) Apostolus propter „ Apostolatus sui Primatum Ecclesiae gerebat figurata quadam generalitate Personam. Quod enim ad ipsum proprie pertinet, natura unus homo erat, gratia unus Christianus; abundantiore gratia unus, idemque primus Apostolus: sed quando ei dictum est: *Tibi dabo Claves &c.* „ universam significabat Ecclesiam „ et *in Psal.* 108. „Cujus (Ecclesiae) ille agnoscitur gessisse Personam propter Primatum, quem in Discipulis habuit„ Hinc *Serm.* 13. *de Verb. Domini*, Petri super Apostolos Principatum cum Ecclesiae repraesentatione ille conjungit „ *Petrus* (inquit) *Ecclesiæ figuram portans, Apostolatus Principatum tenens* „. Ac revera sensus allegoricus, cui S. Augustinus insistit, historiae veritatem non destruit, ut superius animadversum est, unde *cum lib.* 15. *de Trinit. cap.* 26. dixerit: „ Christum „ gessisse figuram Ecclesiae quando baptizatus est „, noluit absque dubio insinuare, Christum Ecclesiae fuisse Legatum; et non nisi inepte ex eo colligeretur, Augustinum velle, quod Christus in propria persona baptizatus non fuerit: Pari ratione, quamvis Petrus accipiendo Claves figuram Ecclesiae gesserit, accepit tamen in sui persona, ut visibile Caput Ecclesiae et ad regendam Ecclesiam universam.

(*Et quomodo explicanda sint nonnullorum PP. dicta, quod cæteris Apostolis datæ sint Claves in Petro &c.*) Neque absimiliter intelligenda sunt verba nonnullorum Patrum, scilicet *Origenis Tract.* 1. *in Matth.*, *S. Hilarii lib.* 6. *de Trinit.*, *S. Augustini Serm.* 30. *de Divers.*, *S. Ambrosii in Psal.* 38., dum tradunt, caeteris Apostolis datas esse Claves in Petro,

et cum Petro; et id, quod Petro dictum est „ *Tibi dabo Claves &c.* „ aliis etiam Apostolis fuisse dictum. Verum enim est, in Petro, et cum Petro aliis Apostolis traditas fuisse Claves, sed a Petro aliis communicandas, ut ex *Tertullian.*, *SS. Optato*, *& Leone M.* hic supra vidimus, unde hoc unice sensu reliquis etiam dictum fuit „ *Tibi dabo Claves &c.* „ Nam si diversimode quis interpretari voluerit eorum Patrum asserta, injuriam maximam ipsis irrogaret, ac si illi contradicere voluerint sacri eloquii litterae, in qua nonnisi Petro legimus a Domino Jesu dictum: *Tibi dabo Claves &c.*; ceteris vero Apostolis: *Quæcumque alligaveritis &c.*

(*Veritas Primatus S. Petri ex verbis Domini Joan.* 21.15. *seqq.*) VII. Nec minus veritas Primatus Petri refulget *ex verbis Domini Joann.* 21.15. *seqq.*: Enimvero post Resurrectionem suam Supremus Pastor animarum nostrarum Jesus Christus coram Discipulis suis sic Petrum affatus est „ Simon Joannis diligis me plus his? Dicit ei: etiam Domine; tu scis, quia amo Te: Dicit ei. Pasce Agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis, quia amo Te: Pasce Agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dicit ei tertio: Amas me? & dixit ei: Domine tu omnia nosti; Tu scis quia amo Te. Dixit ei: Pasce Oves meas „. Quibus verbis, traditam fuisse Petro summam rerum in Ecclesia, & Sacrum nedum supra cæteros fideles, sed etiam supra Apostolos ipsos Principatum, tradunt *Origenes in cap. 6. Epist. ad Rom.* „ Petro cum summa rerum de pascendis Ovibus traderetur, & supra ipsum, velut petram, fundaretur Ecclesia nullius confessio virtutis alterius ab eo, nisi charitatis, exigitur: „ S. Ambrosius lib. 10. in Luc. n. 175. ad cap. 24. „ Dominus non dubitabat, qui interrogabat non ut disceret, sed ut doceret, quem elevandus in Cœlum amoris sui nobis velut Vicarium relinquebat . . . . quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur . . . . Tertio Dominus, non jam: Diligis me? Sed; Amas me? interrogavit; & jam non Agnos, ut primo, quodam lacte pascendos; nec Oviculas, ut secundo; sed Oves pascere jubetur, perfectiores ut perfectior gubernaret „. Equidem perfectiores Oves Apostoli ipsi erant, S. Augu-

stinus Serm. 269. cap. 4. (edit. Maurin.) „ Merito etiam „ post resurrectionem Dominus ipsi Petro Oves suas com„ mendavit pascendas. Non enim inter discipulos solus „ meruit pascere dominicas Oves: Sed quando Christus „ ad unum loquitur unitas commendatur, & Petro primi„ tus, quia in Apostolis Petrus est primus „ S. Leo M. „ Serm. 4. de Natali ipsius Cap. 2. (edit. Baller.) „ Et ta„ men de toto Mundo unus Petrus eligitur, qui & univer„ sarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cun„ ctisque Ecclesiæ Patribus præponatur: ut quamvis in Po„ pulo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores: omnes „ tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & „ Christus „ S. Maximus Taurinen. de Capitulis Evange„ liorum num. 23. „ Pastor Ecclesiæ fuit (Petrus), insu„ per & Pastor gregis: *Pasce* enim, ait Jesus, *Oves meas*. „ Discipulus igitur, & Ecclesiæ fundamentum, & Apo„ stolus: „ S. Gregorius M. Epist. 32. (Regest. lib. 4. ad „ Mauritium Imp,) „ Evangelium scientibus liquet, quod „ beatissimo omnium Apostolorum Principi Petro Domi„ nica voce totius Ecclesiæ cura commissa est: *Ipsi dicitur*: „ *Petre amas me? Pasce oves meas* „; & Epist. ad Eulo„ gium Alexandrinum (Regest. lib. 7. Epist. 40.) „ Cui „ (Petro) rursus dicitur: *& tu aliquando &c.* Iterumque: „ *Simon Joannis amas me? Pasce Oves meas* „. Itaque cum „ multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apo„ stolorum Principis Sedes in auctoritate convaluit, quæ „ tribus in locis unius est „. S. Bernardus de Consid. lib. 2. „ cap. 8. als. 9. „ Sunt quidem & alii Cœli Janitores, & „ Gregum Pastores: Sed tu tanto gloriosius, quanto & „ differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditasti. „ Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos. Ti„ bi universi crediti, uni unus. Nec modo Ovium, sed „ & Pastorum tu unus omnium Pastor. Unde id probem „ quæris? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico Episco„ porum, sed etiam Apostolorum sic absolute, & indiscre„ te commissæ sunt Oves? *Si amas me, Petre, pasce Oves* „ *meas* „. Quas? Illius, vel illius Populos Civitatis, aut „ regionis, aut certi regni? *Oves meas*, inquit: Cui non „ planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes?

„ Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. „ S. Bruno Asten. „ in Joann. Cap. 55. (edit. cl. me. Card. de Zelada) „ Dicit ei: Pasce Oves meas. Prius Agnos, deinde Oves ei „ commisit: quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus Agnos, pascit „ & Oves: pascit filios, pascit & Matres: regit & Subditos, regit & Prælatos. Omnium igitur Pastor est, quia „ præter Agnos, & Oves, in Ecclesia nihil est „ *S. Anselmus Lucensis, qui undecimo Sæculo floruit, lib. 2. con. Witbertum, seu Guibertum Antipapam* inquit: „ In primis dicendum videtur, quod beatissimus Petrus Apostolus, „ primus Ecclesiæ Pontifex, prius Patriarchalibus Sedibus „ Orientis; postmodum vero primos misit Pontifices Civitatibus Occidentis. Ipsi enim hæc ordinatio maxime competebat, cui principaliter Christus Dei Filius, cœlestis „ Regni Clavibus traditis, suas Oves pascere jusserat, & „ pro cujus fide ne deficeret, specialiter oraverat, cuique „ Fratres suos in eadem fide confirmare præceperat „. *S. Joannes Chrysostomus Homil. 88. in Joann.* exponens, quare Dominus, prætermissis aliis, sermonem ad Petrum converterit, ait, quod Petrus „ eximius erat inter Apostolos, „ os discipulorum, & cœtus illius caput „ ac dein addit „ „ Petrum non throni hujus, sed totius Orbis Doctorem „ a Christo statutum fuisse „.

Positis laudatis verbis D.N.J.C. probatur Primatus S. Petri aliis etiam rationibus Theologicis.

VIII. (*Christus nomen Petri, hoc est Saxi, singulariter dedit Simoni Joannis*). Allatis jam superius verbis Domini Salvatoris, & SS. Patrum expositionibus, animadvertendum est, quod antiquum *Petri* nomen Christus servarit inquiens „ *Beatus es Simon* „, & Patris etiam nomen addidit, ne ad Cananæum possent verba referri. Nomen quoque novum indidit, quod Petro non commune cum reliquis Apostolis esset, sed proprium: *Et Ego dico tibi* „ ait, non Joanni, non Jacobo, *sed tibi*; *tu es*, non solum vocaris, sed *es Petrus*, hoc est *Saxum*, *Petra*. (*Vocavitq. eum Cephas, idest Petra ingens*). Unde & *Joann.* 1. 42. *Ce-*

phas [idest petra ingens, seu rupis magno ferendo ædificio idonea, a Domino vocatus est: „ *Et super hanc petram*, inquit, *aedificabo Ecclesiam meam*; id est, tu es petra, & super hanc petram, hoc est, super te, ædificabo (*Sensus litteralis textus S. Matth.* 16. 18. *suadet Christum de Petri Persona loquutum dum dixit, supra eam Petram velle ædificare Ecclesiam*). Certe, hæc est consequentia litteræ, seu litteralis sensus; alioquin explicari vix posset, quare Christus *Petram* appellatum voluisset *Simonem Joannis*, nisi concedatur, quod ob eam causam hoc ei indiderit nomen, ut eum *Petram Ecclesiae* constitueret. Iterum recitemus verba *S. Thomæ* 3. *part. qu.* 37. *art.* 2. „ Nomina autem, quæ „ imponuntur aliquibus divinitus, semper significant ali- „ quod gratuitum donum eis divinitus datum: Sicut *Ge-* „ *nes.* 17. dictum est Abraæ, appellaberis *Abraham*, quia „ Patrem multarum gentium constitui te: Et *Matth.* 16. „ dictum est Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædi-* „ *ficabo Ecclesiam meam* „ Ad hæc; explicare vix datum esset, quomodo de seipso Christus, aut de fide, & confessione Petri locutus fuisset dum in eo sermonis contextu nec seipsum nominaverit, nec fidem, aut confessionem Petri; sed Petrum unice, ac dixerit „ Tu es Petrus „ nempa tu Petra es „ *& super hanc petram ædificabo* „: Et revera, pronomen demonstrativum *hanc*, demonstrat nomen substantivum, quod tantummodo præcessit, nempe Petrum, non autem alia, quæ nec in præcedenti propositione, nec in toto contextu exprimuntur.

IX. (*Præsentibus aliis Apostolis Christus soli Petro supremam potestatem contulit in universam Ecclesiam, & in ipsos Apostolos*). At vero, cum reliqui adstarent Apostoli quando Christus loquebatur, ac soli Petro gregem universum regendi, pascendique illimitatam potestatem Jesus tribuerit: „ *pasce Oves meas, pasce Agnos meos*: „ eique soli dixerit „ *TU es Petrus &c.*, & : *TIBI dabo Claves Regni Cœlorum* „, evidens est, jurisdictionem Petro datam tam amplam fuisse, ut in Apostolos ipsos, qui etiam Christi Oves sunt, diffunderetur. Hanc ob causam Apostoli cum Petro, veluti Pastore suo, totiusque Ecclesiæ Petra solidissima, communionem retinere; ac edocere ab

ipsis fundatas Ecclesias, ut illum Ecclesiæ universæ Sacrum Ductorem, & spiritualis Ædificii fundamentum agnoscerent, tenebantur (*Insuper & Caput, ac Principem Apostolici Chori, totiusque Ecclesiæ eum constituit*). Sed, & constans est SS. Patrum traditio, cujus probationes attulimus, & inferius etiam referemus, Petrum ex Christi institutione *Principatum* in universam Ecclesiam obtinuisse, atque in Apostolos cæteros jurisdictione fuisse insignitum. Ac jure, meritoque: Petrum enim Jesus Salvator elegit in Pastorem Dominici gregis illis verbis: „ Pasce oves meas „, ut Dux esset etiam suorum Discipulorum (quod docet S. Epiphanius hæres. 51.); constituitque Petram, supra quam ædificaturum se dixit Ecclesiam suam: „ Tu es Petrus, & super hanc Petram &c. „ quemadmodum prolixius jam a nobis ostensum fuit. Ast secundum metaphoram idem est fundamentum Domus, quod, servata Corporis analogia, Caput; hinc manifeste apparet, Petrum ut Ecclesiæ Petram fundamenti, ita etiam Caput esse; & aliunde notum est, quod Rectores Populi (Petrum enim Agnorum, & ovium, nempe fidelium omnium tum qui præsunt, tum qui subsunt Pastorem Christus declaravit) Capita dicuntur (Amos 6. 1.); & Saul quoque Rex erat, & Caput Populi dicitur (1. Regum 15. 17.) (Viden. Append. I. Num. XXII., XXIII., & Append. II. Capitul. 11.). Sane, Ecclesiæ Patres Petrum vocarunt passim Apostolici Chori, & *S. Ecclesiæ Caput*; *Coryphæum* (h. e. supremum); & *Principem*, quod summum Dignitatis apicem, unaque supremam in omnes potestatem ei dederit Christus. Quamvis autem negare nec unus possit, hæc SS. Patrum dicta esse, nisi qui velit certissimæ veritati contumax contradicere; nihilominus ad validius assertioni nostræ robur conciliandum, unam, & alteram ex ipsis SS. PP. excerpas sententias hoc loco seu atteximus, seu iterum recitamus, omittentes aliorum asserta, quæ in hoc Opere allata sunt, iterum relegenda:
„ S. Epiphanius (hæres. 59.): „ Princeps Apostolorum
„ Petrus „; S. Gregorius Nazianzenus cognomento Theo-
„ logus S. Petrum nuncupat „ Principem Apostolorum „
„ (Carm. de seipso, & advers. Episc. To. 1. pag. 896. n. 55.)
„ & „ Ecclesiæ Columen „ (Orat. 7. pag. 129.); Didymus

„ Alexandr. (de Trinit. lib. 1. cap. 27. in fin.) vocat Pe-
„ trum „ Apostolorum Coryphæum „ , & (cap. 30.) ait: „
„ Potestatem (Petrus) accepit , aut potius omnes per eum
„ acceperunt non rejiciendi lapsos &c. „ , & (lib. 2.cap.10.
„ circ. med.) „ Petrus ille inter Apostolos Principatum te-
„ nens „ ; Theodoretus (Epist. 77. To. 3. pag. 947. Edit.
„ Sirmond.) S. Petrum appellat „ Apostolorum Princi-
„ pem „ ; S. Joannes Chrysostomus (Homil. 5. de Pœnit.
„ To. 2. num. 2. pag. 311. Edit. Montfauc.) de B. Petro
„ ait : „ Nullum negationi par malum ; sed tamen post
„ tantum malum , iterum eum ad priorem honorem reve-
„ hit , Ecclesiæ præfecturam ipsi per universum Orbem tra-
„ didit „ ; S. Cyrillus Hierosolymit. (Catech. 2. §. 19. in
„ fin.) „ Nemo igitur suam ipsius salutem desperet . Pe-
„ trus Apostolorum summus , & Princeps coram vili ancil-
„ lula ter Dominum negavit ; sed pœnitudine tactus flevit
„ amare „ ; (Catech. 12. §. 3.) : „ Omnibus autem (Apo-
„ stolis) tacentibus (humanas enim vires excedebat hujus-
„ modi documentum) Petrus Apostolorum Princeps , & su-
„ premus Ecclesiæ præco non adinvento sermone usus , ne-
„ que humano persuasus ratiocinio , sed immissa menti a
„ Patre luce perfusus , dicit ad ipsum : „ Tu es Christus „
„ neque id simpliciter , sed *Filius Dei viventis &c.* „ & (Ca-
„ tech. 17. §. 27.) „ Apostolorum Princeps , & Regni Cœlo-
„ rum Claviger Petrus „ ; S. Cyrillus Alexandr. (Lib. 12.
„ in Joann. cap. 19. v. 25.) : „ Si Petrus ille SS. Apostolo-
„ rum Princeps scandalizatus est aliquando &c. „ , &
„ (Homil. Encomiast. in S. Deipar. To. 5. par. 2. pag. 384.
„ Edit. Joan. Auber. 1638.) B. Petrum nuncupat Apostolo-
„ rum Principem , & Caput ; S. Petrus Chrysol. (Serm. 154.
„ in S. Stephanum edit. Lugdunen. 1636. pag. 525.) inquit „
„ Petrus Apostolici sui Chori vetustum teneat Principatum ,
„ aperiat intrantibus Regnum Cœlorum , reos potestate
„ vinciat , pœnitentes clementer absolvat „ ; S. Gregorius M.
„ (lib. 4. Epist. 32. ad Maurit.) : „ Cunctis Evangelium
„ scientibus liquet , quod Bmo omnium Apostolorum Prin-
„ cipi Petro Dominica voce totius Ecclesiæ cura commissa
„ est ; ipsi dicitur : „ Petre amas me ? Pasce oves meas „ ;
„ ipsi dicitur : „ Tu es Petrus &c. „ : Ecce Claves Regni

„ Cœlestis accipit, potestas ei ligandi, atque solvendi tri-
„ buitur, cura ei totius Ecclesiæ, & Principatus commit-
„ titur„; S. Isidorus Pelusiota (Epist. lib. 1. Epist. 142.
„ edit. P.Andreæ Schotto) „ Petrus Apostolici Sodalitii Cho-
„ riphæus „, & (lib.2. Epist. 58.) : „ Petrus Apostolorum
„ antesignanus „, & (lib. eod. Epist.99.) : „ Petrus Apo-
„ stolici Chori Præsul „; PP. Concilii Generalis VI. in Lit.
„ ad S. Leonem II. PP. infr. referen. *in Proleg. Num. XXIX.*
„ Theophilactus (in Cap. 22. Lucæ) exponens verba Chri-
„ sti : „ Confirma frater tuos „ : „ Tu Petre (ait) conver-
„ sus bonum exemplum pœnitentiæ eris omnibus, qui cum
„ Apostolus fueris, & negaveris, iterum receperis Prima-
„ tum omnium, & Præfecturam Orbis „. En Sanctorum Patruum scita, communesque voces. Sic igitur mira officiorum, insimul tamen perfecte concinentium, varietate concessa & Petrum ad sublimissimum apicem evexit, & Ecclesiæ suæ providit Æterna Sapientia; ac, ne ullus, quamvis indocilis, & pertinax contra supremam Petri sublimitatem obloqui posset, elegit illum, ut esset lapis ad fundamentum domus suæ; ideoque Caput, ac Princeps cum summa potestate ad regimen totius Populi Dei; Ductorque, & Pastor Gregis Dominici ad pascua spiritualis salutis. Qua de re Concilium Constantiense Sess. 15. justissime, ac verissime damnavit Wicleffi errorem septimum, qui est hujusmodi „: Petrus non fuit, nec est Caput S. Ecclesiæ Catho-
„ licæ „.

X. (*Prærogativæ a Domino concessæ Petro Principatum ejus in Apostolos, & universam Ecclesiam ostendunt*). Sane, prærogativæ a Domino Jesu B. Petro concessæ Principatum ejus supra Apostolos, & universam S. Ecclesiam apprime demonstrant. Principio enim, ponderandum iterum est, Christum nomen *Simonis* mutasse, ut refertur *Joann. I.* Simon ab Andrea fratre suo adductus est ad Jesum, dixitque illi Salvator : *Tu es Simon filius Jonæ : tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus* „. Hujus equidem impositio nominis mysterio vacua non fuit, ut diximus, neque inutilis, quoniam Filius Dei erat, qui loquebatur; ac per consequens ad quamdam dignitatis accessionem concedendam vocavit Christus Simonem nomine novo, idest *Petri*, seu *Pe-*

træ. Unum hoc est ex nominibus ipsius Christi Jesu „ Petra „ enim erat Christus, & lapis summus angularis, electus, „ pretiosus (1. Cor.10.4. ; 1. *Petri* 2. 6.) . Christus ergo suum nomen communicàns cum Petro, quid aliud voluit, quam ipsum vice sua fundamentum, & Caput Ecclesiæ constitutum ? Id innuunt *S. Cyrillus Alexandr. supra relato lib.2. in Joann. cap.21.*, *S. August. tract.7. in eumdem Evangelistam*; & luculentius *S. Leo M. Serm.3. de Natali ipsius cap.3.*, *& Serm.4. de Natal. ipsius cap.2. pariter relatis*: „ Cum ego sim inviolabilis Petra, ego lapis augularis .... „ Ego fundamentum . . . tamen tu quoque Petra es . . . „ ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum par„ ticipatione communia „: *Et Epist.10.* (*als.89.*) *ad Episcop. per Viennen. Prov. constit. num.1.* (Edit. Baller. To. I.): „ Hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium „ Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Bmo Pe„ tro Apostolorum omnium summo principaliter colloca„ rit; & ab Ipso, quasi quodam capite, dona sua velit in „ corpus omne manare: ut exortem se mysterii intellige„ ret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recede„ re. Hunc enim in consortium individuæ unitatis assum„ ptum, id quod Ipse erat, voluit nominari dicendo : „ Tu „ es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam „ meam „; ut æterni templi ædificatio, mirabili munere gra„ tiæ Dei, in Petri soliditate consisteret: hac Ecclesiam „ suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeri„ tas posset appetere, nec portæ contra illam inferi præva„ lerent „. In Synodo quoque *Generali Calchedonensi Actione III*. Legati S. Leonis, acclamante Synodo, Sententiam depositionis in Dioscorum tulerunt in hæc verba „. Unde „ SSmus, & beatissimus Archiepiscopus Magnæ, & Senio„ ris Romæ Leo per nos, & per præsentem S. Synodum „ una cum ter beatissimo, & omni laude digno Petro Apo„ stolo, qui est Petra, & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & „ rectæ fidei fundamentum „ nudavit eum tam Episcopatus „ dignitate, quam etiam & ab omni Sacerdotali alienavit „ ministerio „; ac secundum sententiam Legatorum pronunciarunt reliqui Patres, & subscriptione sua eam approbarunt.

XI. (*S. Matthæus Evang. 10. v. 2. expressit Primatum S. Petri*). Deinde: *S. Matthæus* 10. 2. expresse Primatum S.Petri docuit inquiens „ Duodecim autem Apostolorum no„ mina sunt hæc: *Primus Simon, qui dicitur Petrus* „. Et notandum, quod S. Evangelista non contentus primo loco Apostolorum Chori ponere Petrum, ad clariorem intelligentiam addidit „ *Primus Simon &c.* „. Nulla autem prioritas ætatis, aut vocationis obtrudi potest, cum Andreas prior vocatus fuerit; nec in cæterorum enumeratione aliqua vocationis, aut ætatis habeatur consideratio. Hac ratione sapienter perpensa, Primatusque in Petro excellentia perspecta *S.Jo.Chrysost. Homil.3. in Acta Apostolorum* tradit, S.Petrum solum, non rogatis aliorum suffragiis, potuisse in locum proditoris Judæ Apostolum eligere: „ Quid (ait) an non li„ cebat ipsi Petro eligere? Licebat, & quidem maxime. „ Verum id non facit, ne cui videretur gratificari „.

XII. (*Christus Petrum prælegit, ut esset centrum unitatis Ecclesiæ*). Dignitati Capitis, & crepidinis Catholicæ Ecclesiæ conjunctissimum est, ac natura ipsa inseparabile insigne *centri Unitatis Ecclesiasticæ*. Atqui Dominus Jesus Petrum præelegit, qui Ecclesiasticæ unitatis centrum esset; quod docuere *S. Optatus Milevitanus lib.2. con. Parmenianum*: „ Igitur negare non potes, scire te, in Urbe Roma „ Petro primo Episcopalem Cathedram esse conlatam in qua „ sederit omnium Apostolorum Caput Petrus, unde & Ce„ phas appellatus est; in qua Cathedra unitas ab omnibus „ servaretur; ut jam Schismaticus, & peccator esset, qui „ contra singularem Cathedram alteram collocaret. Ergo „ Cathedra unica est, quæ est prima de dotibus; sedit prior „ Petrus &c. „; & S. Hieronymus lib.1. advers. Jovinian. „ Cap.14. „. At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia, „ licet idipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat, & „ cuncti claves Regni Cælorum accipiant, & ex æquo su„ per eos Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea in„ ter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto, Schis„ matis tollatur occasio „. Ex quibus S. Doctoris verbis apparet, quod, quamvis Apostoli omnes æquo jure fuerint Ecclesiæ fundamenta ratione Apostolatus, doctrinæ, & prædicationis, non tamen ratione Primatus, quia solus Petrus

constitutus est Ecclesiæ Caput, unusque præ cæteris electus, qui procurando Ecclesiasticæ unitatis negocio ex officio advigilaret.

XIII. (*Principatus Petri cuilibet Episcopatui anteponendus*). Bmus Petrus a Christo electus est, ut universos Ecclesiæ Pastores regeret, quemadmodum ostendimus. Atque hinc est, quod ejus Principatus cuilibet Episcopatui anteponendus sit, ut docent *S. Augustinus lib. 2. de Baptism. con. Donatistas cap. 1.*. ubi cum retulisset illa *S. Cypriani* verba *ex Epist. ad Quintum*. „ Nam nec Petrus, quem pri-„ mum Dominus elegit, & super quem ædificavit Eccle-„ siam suam .... vindicavit sibi aliquid insolenter &c. „ ait (S. Augustinus): „ Ecce ubi commemorat Cyprianus, „ quod etiam nos in Scripturis Sanctis didicimus, Aposto-„ lum Petrum, in quo Primatus Apostolorum tam excel-„ lenti gratia præeminet „, & infra. „ Puto, quod sine ul-„ la contumelia Cyprianus Episcopus Apostolo Petro com-„ paratur quantum attinet ad martyrii coronam; cæterum „ magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus exi-„ stam. Quis enim nescit illum Apostolatus Principatum „ cuilibet Episcopatui præferendum? Sed etsi distat Cathe-„ drarum gratia, una est tamen Martyrum gloria „: Ac gravissime, & luculentissime *Sanctus* etiam *Leo M. Serm. IV. de Natali ipsius cap. 2.* „ *De toto Mundo unus Petrus eligitur &c.* „ quæ verba relegenda sunt superius *sub num. VI.* Si hæc vera, quemadmodum verissima sunt, concedere opus est, quod S. Petrus, quem elegit Dominus ut universos Ecclesiæ Pastores regeret, & cujus Principatus cuilibet Episcopatui præferretur, Divino jure Apostolorum Princeps, & Supremus Ecclesiæ Pastor, & Caput existat.

Probatur Primatus S. Petri ex Liturgiis, Officiisque Ecclesiasticis Ecclesiæ Orientalis

XIV. (*In Liturgiis, Officiisque Divinis Ecclesiæ Græcæ exprimitur Primatus S. Petri*). *Die XVI. Januarii*, quo die Vinculis S. Petri deferunt Græci honorem, sacrumque cultum, hæc in Ecclesia canunt: „ Non caro, & sanguis, „ Petre, tibi, sed Pater inspiravit Christum Dei Patris

„ videntis Filium theologice profiteri . . . . Et te beatum „ Ipse contestatus est, & Petrum consentaneo nomine appellavit, ut ipsius Ecclesiæ fundamentalem Petram, quæ „ nequit effringi.

Eodem die in Officio „ *Petrus* Ecclesiæ fundamentum „ & Fidei Petra „.

Et hoc ipso die: „ Christi firmasti Leges, earumque „ violatores rectam earumdem constitutionem, observationemque docuisti, ut qui Apostolorum es Princeps, & „ Dogmatum fidei fundamentum nulla vi excutiendum „.

In Menæo XVI. Januarii: „ Petrus Christi Cursor, & „ Apostolus e Palæstina quasi e repagulo prodiens, & Orbi prædicans Roma in vetere conquievit „.

In eodemque Menæo XVI. Januarii: „ Leges Christi (o „ Petre) confirmasti, & legum transgressores rectam eorum „ constitutionem, observantiamque docuisti, ut qui Apostolorum *Coryphæus* (scilicet *vertex Supremus*, derivatione a Græco κορυφὴ, nempe proprie *vertex Capitis*, quia „ ἡ κάρα *summum in quavis re*) es, & dogmatum fidei immobile fundamentum „.

In Menæo XXIX. Junii, qua die nos etiam Latini Festum SS. Apostolorum Petri, & Pauli celebramus; „ Tui in „ Christum amoris protulisti, Petre, testem verbum, cui, „ ut Deo, nota sunt omnia. Ideo dilectissimum sibi gregem tibi commisit „.

XXX. Junii in Officio: „ Christus Te in electione primum, o Petre, Te fidei fundamentum coronavit „.

Eodem die in Menæo: „ Romæ factus es primus Episcopus, Urbium omnium maxima gloria, & decus, Ecclesiæ fundamentum, & fulcimen, portæque Inferi non „ prævalebunt adversus eam, ut prænuntiatum a Christo „ est „.

XI. Januarii in Menæo S. Sylvestro PP. laudes, & vota offerentes Græci, ajunt: „ Princeps Sacri Ordinis, o Pontifex, visus es, & discipulorum Principis Sedem exornasti „.

XVIII. Februarii in Menæo S. Leonem PP. (quem SSmum Pontificem nonnisi Eutychiani, aliique hæretici a Catholica Ecclesia misere abalienati, & jam dudum damnati rejiciunt)

ita alloquuntur : „ Petri Supremi Principis , in ea , quam „ tenuit , Sede hæres &c. „ .

Et S.Clementem PP. XXIV. Novembris in Menæo : „ Affectuum perturbatione expeditus mentem circa Entium „ cognitionem , Clemens SSme , occupasti . Quapropter „ ad hunc Te primum , & principale Ens attraxit , Petri „ opera Apostolorum Principis , qui te divinis initia- „ vit &c. „ .

(*Et in Missa , seu Canone Universali Æthiopum*) . *In Missa , sive Canone Universali Æthiopum (Bibliot. PP. Lugdunen.*) Sacerdos dicit : „ Domine Deus omnipotens , sa- „ lus animæ ,& corporis nostri , qui per os Filii tui Unige- „ niti Domini Dei , & Servatoris N. J. C. , dixisti Patri no- „ stro Petro „ Tu es Petrus , & super hanc Petram ædifi- „ cabo Ecclesiam meam , & portæ inferi non prævale- „ bunt adversus eam concutiendam , & tibi dabo cla- „ ves &c. „ .

(*Nec non & in Liturgiis , sacrisque Officiis Ecclesiæ Græco-Ruthenæ*) . *Apud Ruthenos* , qui Ecclesiæ Græcæ ritum sequuntur , *in die Festo SS. Apostolorum Petri , & Pauli XXIX. Junii* legitur *Evangelium S.Matth. cap.16. incipiendo a v.13.„ Venit Jesus &c.„ usque ad totum v. 19.* Concordat in hoc EvangelicoTextu per omnia versio Ruthena cum Textu latino; adeoque etiam juxta sententiam Græco-RuthenorumS.Petrus nominatur a Christo *Petra* (quemadmodum interpretari debere vocem *Petra* demonstravimus luculentissime tot SS. Patrum testimoniis) , super quam ædificata est Ecclesia ; recepitque primo , ac principaliter a Christo claves Regni Cælorum , potestatemq. ligandi , atque solvendi omnes fideles super terram . *Sub die XVI. Januarii* in Ecclesia Græco-Ruthena celebratur *Festum* adorandi *Ven. Catenas Bmi Apostoli* Petri , & in toto hujus diei Officio ad S. Petrum directo , talia inveniuntur verba , ex quibus evidenter patet suprema ejus hierarchica in universalem Ecclesiam jurisdictio ; nam sæpe nominatur Petrus : „ *Claviger* (nempe anthonomastice) *Cælorum; Antesignanus omnium Apostolorum; Veritatis Divinus discipulus ; Petra fidei &c. Pro eodem die* sunt in Officio *Troparion , & Condachia duo* , quibus in hunc, qui sequitur, modum canunt Sacri Ministri : „ *TkOPA-*

„ *RION*:„ Romam non derelinquens ad nos pervenisti, quo-
„ rum causa portasti adorandas Catenas, Apostolorum Ante-
„ signane, nos easdem cum fide adorando petimus, ut pre-
„ cibus tuis ad Deum impetres nobis magnum ejus amo-
„ rem „. CONDACHIUM PRIMUM „: *Supremum*, *&*
„ *Principem* inter Apostolos, veritatis divinum discipulum
„ Petrum gloriosissimum laudibus celebremus, & hujus
„ fide osculemur Catenas, remissionem peccatorum conse-
„ quendo: „ CONDACHIUM SECUNDUM „: Petra Chri-
„ stus Petram fidei honorifice glorificavit discipulorum An-
„ tesignanum, invitat enim omnes miraculis ad honoran-
„ das tuas, Petre, Catenas sacras, & concedit peccato-
„ rum remissionem „. Hoc ipso die ad venerandas Petri Catenas sacro, legitur in *Liturgia Evangelium S. Joannis cap. 21. a vers. 15.*: „ *Dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis diligis me plus his? usque ad finem capitis*; & Græco-Ruthena lectio concinit per omnia cum Latina. Quare etiam Græco-Rutheni confitentur, quod a D. N. J. C. data sit Petro *soli, ac supra omnes etiam Apostolos* (quod argumenta a nobis exposita manifeste evincunt) potestas pascendi, regendi, gubernandi omnes, nemine excepto, nempe Oves, seu Pastores; et Agnos, seu fideles, qui ad Ovile pertinent Jesu Christi.

Notandum insuper, quod SS. Episcopi Cyrillus, & Methodius Apostoli Moravorum, Slavonum &c. (quorum memoria *in Martyrologio etiam Romano* celebratur *ad diem 9. Martii*) sacras, Novi præsertim Testamenti, paginas e Græca lingua in Slavonicam, sive Illyricam, seu Ruthenam (nam idem significant tres istæ ejusdem idiomatis appellationes) transtulerunt, atque illis tradidere Nationibus, quæ eadem lingua utuntur. Hinc est, quod probationes, quotquot a nobis relatæ sunt, petitæ ex Evangeliis, aliisque Sacris novi Testamenti litteris in Ecclesia Græco-Ruthena, et Illyrica (qua Illyricum latissime patet) legi solitis in Liturgia, Officiisque Divinis, eæ, inquam, probationes sic accipiendæ sunt, qua a Græcis-Ruthenis, et ab Illyricianis omnibus maxime probatæ, priusquam nonnulli ex Græcis-Ruthenis (utinam, Domine, non adeo multitudo magna sit languentium, aridorum, ab Unitate Catho-

licæ Romanæ Ecclesiæ dissidentium!) a Communione cum Romana Cathedra recessissent.

(*In istis sacris lectionibus Græci etiam a nobis Dissidentes concordant cum Græcis unitis*). Verum ipsi etiam, qui a Nobis exierunt ex illis, atque abalienati sunt retrorsum, in sacris Officiis eas retinent adhuc SS.Evangeliorum lectiones, easque preces fundunt, quas hic supra exscripsimus, in iisque concordant cum Græcis nobiscum Unitis. Quibus omnibus positis, liceat nobis, dilectionis ergo, loqui ad vos, qui non permansistis nobiscum. Aut sincera fide creditis (ut putamus) in ea, quæ elata voce profertis coram Deo, et Angelis ejus, ac coram Populo, atque Nationibus, dum super Altare Dei Divinum offertis Sacrificium, aut circa Altare Dei sanctas laudes, ac preces effunditis; an vero non? Si os vestrum, o Ministri Ecclesiæ, fidei cordis vestri consentiat tunc cum de Primatu universali S.Petri tam pulchra canitis, quomodo Primatum ipsum in discrimen adducere satagitis? Sin autem aliud ore profertis, aliud corde retinetis (quod nec suspicari quidem volumus), quomodo gravissimi in re sacratissima, et in fidei confessione sacrilegi mendacii vosmetipsos existimatis exsortes; et mendacii dico, quorum numerus multiplicatur quaqua vice illa seu canitis, seu recitatis publice, vel privatim, quoniam Ministrorum Ecclesiæ personam geritis quoties Divina Officia persolvitis; præsertim cum ex Sacræ Scripturæ, et Divinæ traditionis purissimis fontibus derivatam doctrinam hæc sacra Officia vestra contineant? Vos autem in Laicali sorte manentes animadvertite serio, quod mendaciis, ac sacrilegiis coinquinaremini nisi crederetis animo volenti, supremum dedisse D.N.J.Christum BeatoPetro in Ecclesia Primatum; nam ad Ecclesiam convenitis, et sacris ritibus præsentes adstatis. Hæc eadem dicta intelligantur de Primatu universali Romani Pontificis, cujus potestatem a Christo Domino in Beato Petro Romanus Antistes accepit tamquam pretiosissimam hereditatem, quoniam in Menæis Græcorum, Divinisque Officiis leguntur ea, quæ probant hoc nostrum Catholicum Dogma; quemadmodum infra, Deo adjuvante, dicturi sumus.

Respondetur aliis Objectis contra Primatum S. Petri prolatis

XV. Exponentes Sacræ Scripturæ textus nonnulla in antecessum præoccupavimus objecta: Ut autem omnis præcludatur aditus dogmati Primatus jurisdictionis S. Petri quoquo modo detrahendi, descendimus ad alia. (*Exponitur textus S.Lucæ* 22. *v.*24. *seq.* „ *Quis eorum videretur esse major* „). Objiciunt nonnulli, quod cum facta esset inter Apostolos contentio (*Luc.*22. 24. *seq.*) *quis eorum videretur esse major*, Dominus Jesus increpuit eos dicens „ Reges „ gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent „ super eos benefici vocantur. Vos autem non sic; sed qui „ major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor „ est, sicut ministrator „: Et (*Matth.* 18. 1. *seq.*): cum quærerent Discipuli: *Quis major est in Regno Cælorum*? statuto parvulo in medio dixit Jesus: „ Amen dico vobis ni- „ si conversi fueritis &c. Quicumque ergo humiliaverit se „ sicut parvulus iste, hic est major in regno Cælorum „. At vero; Christi Domini documenta isthæc sunt de humilitate toto mentis affectu, & opere servanda. Non negavit Dominus omnem in Apostolis superioritatem, alioquin dicendum esset, nec Sacerdotibus, neque etiam reliquis fidelibus eos fuisse majores, quamvis Episcopali, imo & Apostolica dignitate pollerent. Non exerceatis, dicebat eis Christus, ministerium vestrum typho superbiæ, neque ut dominantes, sicuti gentium Reges, bene vero considerantes vosmetipsos,& humilitatis temperamento subditos gubernantes. Supponit autem Jesus, aliquem inter Apostolos esse Principem; non enim dicit; nemo inter vos major est, nemo præcessor; imo ex opposito „ *Qui major est inter vos*, inquit, *fiat sicut minor, & qui præcessor est sicut ministrator* „ additque sui ipsius exemplum: „ Nam quis major est qui „ recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego „ autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat „. Anne Christus major non erat Apostolis? An dignitate ineffabili ipsis non præcellebat? Et nihilominus affirmavit, venisse Filium hominis non ministrari, sed ministrare, utique, quia *mitis erat, & humilis corde*.

XVI. (*S. Paulo Apostolo a Domino J. C. data non fuit dignitas Primatus*). Dicunt, quod S. Petro commissæ non fuerunt Oves universæ Dominici gregis, quoniam inter Petrum, & Paulum divisa est jurisdictio, itaut isti Gentium, illi Judæorum cura pertineret, sicuti *ex Epist. ad Galat.* 2. 7. *seqq.* Verum id non hac ratioue intelligendum est, quod Paulus Primas Apostolici Chori, & Ecclesiæ Catholicæ æque ac Petrus a Domino fuerit electus; alioquin duo Capita in Ecclesia posita in præjudicium ordinis, & speciei a Deo totius ordinis, & speciei Auctore supremo, unde monstro similis esset Ecclesia; Eo magis, quod, cum Christus ascensurus ad Patrem omnibus dixisset Apostolis „ Euntes in Mundum universum prædicate Evangelium „ omni creaturæ „. (Marci 16. 15.; *Matth.* 28. 19.), si quod nobis objiciunt de S. Paulo aliquid haberet ponderis, omnes æquales asserere oporteret Apostolos, ideoque omnes totius Ecclesiæ Primates a Domino fuisse constitutos, quod nemo sibi suaderepoterit, SS. Patrum, ac traditionis sensu refragante. Non ejusdem jurisdictionis divisio fuit inter Petrum, & Paulum, cum non esset ejusdem potestatis consociatio, bene vero partitio sortis, quoniam, ut notum est, Apostoli, ut facilius, celeriusque Evangelii lumen gentibus omnibus effulgeret, Regna mundi, ac provincias Christi fide imbuendas partiti sunt; & unusquisque eas Terras quæ sorte (quam Deus ipse ordinabat) sibi obtigerant, sudore, ac sanguine irrigandas suscepit. Nutu autem pariter Divino Petrus Judæos, Paulus gentes in tutelam assumpsit: Sed quum gentium primitiæ Evangelio maturescerent, etsi Paulus jam vocatus esset, tamen Angelus Cornelium monet, ut accersat, non Paulum, sed *Simonem, qui cognominatur Petrus* (*Act.* 10. 5.): Ac Petrus ipse (*Act.* 15. 7.) ait „ Vos scitis, quoniam ab „ antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum *audi-* „ *re Gentes* verbum Evangelii, & credere „.

XVII. Levis etiam momenti sunt alia, quæ opponunt nobis, ideoque nonnulla omittimus, & in nonnullis aliis parum immorabimur, tum quod facili negocio elucidantur, si tamen veritatem Dei quæramus, nec consulto velimus proprium sensum, ac sophismata obstinata voluntate sequi; tum etiam quod ex multis, quæ praeloquuti sumus,

jam in antecessum soluta sunt. (*Textus Eusebii lib. 2. hist. c. 1. mendosus est*). Enim vero textus *Eusebii l. 2. hist. c. 1.* mendosus est, ut patet ex Codice Colonien., in quo non habetur vox *Primatus*, quasi Petrus, Jacobus, & Joannes, una Primatum obtinuissent; ac insuper liquet ex *quibusdam optimæ notæ Codicibus, quos Valesius inspexit*, & in quibus S. Jacobus non legitur *Apostolorum* Episcopus, sed *Hierosolymorum*, ut etiam videre est penes *Nicephorum* hunc locum referentem *lib.2. cap.3.* Aliunde *Eusebius lib.2. c.14.* S. Petrum vocat *Apostolorum Principem*.

(*S. Cyprianus pares facit Apostolos in Apostolatu, & prædicatione, non autem in potestate Primatus*). *S.Cyprianus in lib. de Simplicitate Prælatorum, seu de Unitate Eccl.* Apostolos pares facit quoad dignitatem Apostolatus, quoad prædicationem; non autem quoad potestatem Primatus, ac dignitatem fundamenti Ecclesiæ, & singulare munus pascendi Agnos, & Oves, quod Christus soli concessit Beato Petro. Sane Cyprianus in jam relatis Epistolis, super Petrum ædificatam a Domino fuisse Ecclesiam non obscure tradidit; & in hoc ipso *de Eccl. Unit. libro* clarissime ait „ *Primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur* „ & „ *unitatis originem ab uno* (Petro) *incipientem sua Auctoritate disposuit* (Christus) „ quod non fuisset utique nisi Petro auctoritatem contulisset supra omnes fideles, Episcopos, & Apostolos, qua potestate in officio, & unitate posset omnes continere. Hoc & *Epist.73. ad Jubajanum* ipse *S.Doctor* (veluti objectum modernum præoccupans) docuit dicens: „ Quo venturus est qui sitit? Utrumne ad hæreticos, ubi „ fons, & fluvius aquæ vitalis omnino non est? An ad Eccle- „ siam, quæ una est, & super unum, qui claves ejus acce- „ pit, voce Domini fundata? „

(*S. Ambrosii locus cap.4. de Incarnat. non opponitur dogmati Primatus S. Petri*). *Sanctus Ambrosius* autem, quem in Hymno (ut etiam refert *S.Augustinus*) diximus, vocare Petrum Ecclesiæ*Petram, in lib. de Incarnat. cap.4.* (quem locum nobis opponunt) non aliud dicit, quam quod S.Petrus dum professus est: *Tu es Christus &c. egit primatum confessionis utique, non honoris*; scilicet edidit tunc actum fidei: non autem actum jurisdictionis exercuit. At, quid hoc ad-

versus nos? Nesciunt, qui contra nos disputant, quod tunc temporis non adhuc constituerat Christus Petrum Ecclesiæ Principem; non dixerat adhuc ei: *Tu es Petrus &c. tibi dabo claves &c.*, quæ mystica verba Salvator protulit post eam Petri confessionem, & in illius confessionis præmium, sicuti SS. Patres docent, & S.Ambrosius ibidem addit. „ Hic est ergo Petrus, qui respondit præ cæteris Apo„ stolis, imo pro cæteris, & ideo fundamentum dicitur „? Quod si etiam prius accepisset Petrus Primatus sublimitatem, an ne actus ejus exercere potuisset, Christo Domino in terris agente, a quo, non secus ac reliqui, Petrus ipse penderet? Talia, qui a fide aberrant loquuti sunt absurda, & vana, dum odio Romanum Pontificem Ecclesiæ Catholicæ Caput, & Ecclesiam ipsam prosequuti oculos potius ad lucernam fidei in caliginoso loco luceuti claudere malunt, quam a cordis duritia declinare. Oh quam inenarrabilibus lacrymis deflendi estis veritatis adversarii, & quam pro vobis ad Dominum deflet Columba Christi Ecclesia, formosa ejus, una ejus, & ejus Sponsa immaculata! Dies nunc Domine, eis elucescat; & lucifer oriatur in cordibus eorum.

(*Nec locus S.Epiphanii hæres.* 27.). *S.Epiphanius*, qui *hæres.*59. (ut supra diximus) Petrum *Principem Apostolorum* vocat, qui *solidæ petræ instar nobis extitit*, *hæres.* 27. scripsit equidem: „ Romæ primi omnium Petrus, & Paulus Apo„ stoli *pariter*, & *Episcopi fuerunt* „; sed his verbis intellexit, ambos illos Apostolos Romanam Ecclesiam docuisse; & Ecclesiæ istius, veluti Episcopum fuisse etiam Paulum, quia ibidem moratus est, & Evangelium prædicavit. Numquam autem de Primatu universali in Catholica Ecclesia locutus est *Epiphanius*, qui *in Anchorato* summam Pauli laudem putat, quod *Petrus Apostolorum Princeps, qui Regni Claves accipere dignus est habitus*, ipsi *dexteram dedit*: Neque de Episcopatn proprie dicto Urbis agit, cum sciant omnes nullius particularis Ecclesiæ Paulum fuisse Antistitem. De doctrina tantum BB. Apostolorum Petri, & Pauli disserit, quam in ea Urbe non sine profundissimo Divinæ Sapientiæ consilio cum sanguine profuderunt; S. Doctoris enim scopus erat ostendere, illibatam doctrinam in Ecclesia illa particulari conservatam fuisse usque ad Marcellinam

pestilentem quamdam fæminam, cujus occasione hæc scripsit.

(*Neque textus S.Cyrilli Hierosolymit. Catech. 6. Illuminator.*). *S.Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 6. Illuminat. tit. de hæresib.*, Sanctos Petrum, & Paulum nusquam *Capita Ecclesiæ* nuncupat, quemadmodum supponunt qui nobis adversantur, bene vero Prælatos, & *Prostatas*. Cum vero de S. Petro seorsim loquitur ipsum *Protostatam*, idest primum Præsidem, ac Præfectum Apostolici Chori appellat. *Catech. 2. Illuminat.*

(*Auctor Comment. in Epist. S. Pauli non est S. Ambrosii*). Citatur *Auctor Commentarior. in Epistolas* S.Pauli *sub Ambrosii* nomine *super cap. 2. Epist. ad Galatas*. Verum S.Ambrosii fœtum non esse hoc opus constat, sed alicujus Luciferianæ sectæ sectatoris, aut alterius e fæce Pelagianorum. (*At, quisquis sit, adstruit S.Petri Primatum*). Nihilominus Auctor etiam iste supremum Primatum S. Petri evidenter adstruit *in c.2. ad Galatas*, dicens, *dignum fuisse, ut cuperet* (Paulus) *videre Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegaverat Salvator curam Ecclesiarum*; ac de Paulo ibidem ait, quod dignus fuit *habere primatum in prædicatione gentium, sicut habebat Petrus in prædicatione Circumcisionis* „; ex quo intelligere datur, quod de Primatu Pauli disserens, de prædicatione, non autem de Suprema Auctoritate loquebatur.

(*S.Petrus Damiani non negat Primatus dignitatem in S.Petro; verum diserte eam statuit*). *S.Petrus Damiani Opusc. 35. c.4.* Oratorio stylo non absolute, sed temperate ait, quod Paulus: *videtur aliqualiter communiter omnibus præsidere*. Verum ipsemet B.Petrus Damiani de *S.Petro serm. 1.* supra memorato diserte ait, Petrum prænobilitare *singularis Primatus insignia*.

(*Quare Romani Pontifices interdum se dicant SS. Petri, & Pauli Successores*). Neque vero Romani Pontifices (nam hæc etiam objiciunt nobis), si aliquando se dicant Petri, & Pauli successores, intelligunt asserere, se esse etiam Personæ Pauli Successores quoad Primatus dignitatem, quemadmodum sunt Personæ Petri; bene vero intelligunt succedere se etiam Paulo, veluti realiter omnia jura ejus sibi vindi-

cando, quod optime *S.Bernard. ad Eugen. lib. 2. cap. 9.* distinxit inquiens: *Tu Princeps Episcoporum, hæres Apostolorum;* sed quoad potestatem propriam: *Tu* (ait) *potestate Petrus*. (*Ac se agere auctoritate BB. Apostolorum Petri, & Pauli*). Quoniam vero iidem Romani Pontifices *Auctoritate Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli* se agere declarant in Bullis suis, hic loquendi modus non de officii interpretandus est Auctoritate, cui succeditur; sed de patrocinio, quod imploretur. Nonnumquam enim aliorum etiam Sanctorum meminere Summi Pontifices, ut *Jo.VIII. Epist. 261.* „ Ex *Auctoritate Dei*, (inquit), *& BB. Apostolorum Petri,* „ *& Pauli*, & omnium Sanctorum &c. jubemus te omni „ Ecclesiastica communione privatum „; *S. Nicolaus I. in* „ *Sententia contra Photium* „ sit, Dei omnipotentis, & „ BB. Apostolorum Principum Petri, & Pauli, & omnium „ simul Sanctorum . . . . auctoritate . . . . ab omni Sa„ cerdotali honore alienus „: *& Alexander II. Epist.9* „ Ex „ parte D. N. J. C., & S. Dei Genitricis Mariæ, Sancto„ rumque Apostolorum Petri, & Pauli, omniumque San„ ctorum, *& Electorum Dei* „. Certe, Romani Pontifices Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & Electorum Dei Successores dici non possunt. Aliunde vero, ex jam a nobis relatis, & Deo concedente referendis, auctoritatibus tot Romanorum Pontificum, manifestissime apparet, omni ævo illos docuisse, S.Petrum Principem Apostolorum cum suprema, etiam in Apostolos, potestate a Domino Jesu fuisse constitutum, & Romanos Pontifices, qua Petri Successores, in universam Catholicam Ecclesiam tenere Primatum.

(*Et qua de causa in Sigillis, & Bullis Pontificiis aliquoties effigies S. Petri a sinistris, S.Pauli vero a dextris ponatur?*) Ex hac postrema ratione theologica consequens etiam est, quod si in sigillis, & plumbis Pontificiorum Diplomatum interdum effigies S. Petri a sinistris, illa autem S. Pauli a dextris ponitur, non ex hoc æqualem designant Romani Pontifices in Beatis Petro, & Paulo Primatus dignitatem. Siquidem spiritualis significatio hæc est „ *Paulum plane* (ait *S.Petrus Damiani Opusc. 35. cap.1.*) *de Tribu Benjamin exti-* „ *tisse* quis ambigat? Benjamin autem hæbraice, latine

„ *filius dexteræ* nuncupatur; quid ergo mirum est si ad dex-
„ teram constituitur, qui vocabulum dexteræ ex paterno
„ *jure sortitur?* &c. „ *& cap. seq.* „ Cum Beatus Petrus ad
„ dexteram ponitur, primatus ejus, quem inter cæteros est
„ sortitus Apostolos, honoratur. Cum vero Paulus ejus-
„ dem dextri lateris obtinet locum, in Benjamin, cujus est
„ filius, mysticæ figuræ redolet sacramentum. Quamquam
„ & hoc non a mysterio vacat, quod B. Petrus Dominici
„ lateris sinistram tenet; per illum siquidem activa vita si-
„ gnatur; & sicut contemplativa vita per dexteram, sic
„ actualis exprimitur per sinistram. Non mirum ergo si
„ B. Petrus aliquando partem videatur tenere sinistram,
„ qui & activæ vitæ continet, ex Scripturarum auctoritate,
„ figuram „. Insuper; dextera non est honoratior in Ecclesia locus: *In VII. Synodo Oecumenica Actione IV.* Sophronium Patriarcham Hierosolymitanum vidisse refertur admirabilem Imaginem, quæ Christum in medio coloribus adumbratum exhiberet, Virginem Deiparam a sinistris, & S. Joannem Baptistam a dextris; numquid ergo S. Joannes Baptista Beatissimæ Virgini coæquandus? In sinistro cornu Altaris Evangelium legi solet, quod dignius est Prophetiis, & Epistolis Apostolicis, quæ in dextero recitantur. Antiquitus etiam observari solitum, ut, cum duo simul incederent, senior, et honoratior ad lævam esset, junior vero dexterum ipsius latum tegeret; inde *Laterones* dicti sunt, qui dextrum latus Principum virorum defensionis causa tegebant.

(*Quod in Officiis Ecclesiæ Latinæ SS. Petrus, & Paulus vocentur Principes terræ, & Judices sæculi, id dicitur sine læsione Primatus S. Petri*). Denique nihil Principatui S. Petri officit, quod ambo Apostoli, ipse nempe, & Paulus in Officiis Latinæ Ecclesiæ vocentur *Principes terræ, & Judices sæculi*; quia id Apostolis omnibus commune est absque jactura Supremæ dignitatis Petri. De Apostolis enim omnibus canit Ecclesia: *Constitues eos Principes super omnem terram*; & Dominus Jesus cunctis Apostolis dixit: *Matt.* 19. 28. „
„ Amen dico vobis, quod vos, qui sequuti estis me, in
„ regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maje-
„ statis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim judican-
„ tes duodecim tribus Israel „.

PROPOSITIO II.

Sancta Apostolica Sedes, & Romanus Pontifex in universum Orbem tenet Primatum; Ipse Romanus Pontifex B. Petri Successor est, verus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiæ Caput, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à D. N. J. Christo plena potestas tradita est.

Prolegomenon ad probationes ex SS. Patribus.

XVIII. Quum de traditione SS. Patrum, Latinorum pariter, atque Græcorum sermonem facimus, eorumque consonas referimus sententias de Successione Romanorum Pontificum in Supremum Primatum S. Petri cum plena potestate in universam Ecclesiam, nolumus certe à serie Ecclesiæ Patrum, Romanos ipsos Pontifices expungere, eamque dignitatem ipsis adimere.

(*Romani Pontifices adnumerandi sunt in censu SS. Patrum; & maxime*). Injuriam hujusmodi maximam eis irrogare summum piaculum est; Sunt etenim Ecclesiæ Patres, & *maxime*, quia Romanam *antiquissimam*, & *maximam*, juxta *S. Iræneum*, rexerunt Ecclesiam a bmo Petro Apostolo fundatam.

(*Occurritur objectioni, quod Romanis Pontificibus in hac re non sit credendum*). Ast, ne quid difficultatis supersit, dissipanda prius quædam nebula claritati veritatis inimica, quæ mentem alicujus fortasse invadit, ac propulsanda invidia, quam Summis Pontificibus inurere quis satagit dicens; Ipsis Sedis suæ dignitatem commendantibus, in propria videlicet causa, non esse credendum. Hanc Romanis Pontificibus inustam mendacii, & erroris maculam, injustam pariter, ac irreligiosam (quoniam in re ad fidem pertinente mentirentur *Summi Catholicæ Ecclesiæ Antistites, ideoque Doctores Summi*) ipse *Auctor Defensionis Cleri Gallicani*, (quem nullus putabit in Pontifices Romanos indulgentiorem, eorumque assentatorem) avertit *Par. 3. lib. 10. cap.6.* „ Audio quid dicent (ait ille) : Romanis Pontificibus, Sedis

„ suæ dignitatem commendantibus , in propria videlicet „ causa, non esse credendum. Sed absit ; pari enim jure „ dixerint, ne Episcopis quidem, aut Presbyteris esse adhibendam fidem cum Sacerdotii sui honorem prædicant, „ quod contra est . . . . . quod quidem hic semel dicere „ placuit, ut temerariam, ac pessimam responsionem confutarem; profiteorque me de Sedis Apostolicæ Majestate, Romanorum Pontificum doctrinæ, & traditioni crediturum . „ (*S. Sedem Orientales , & Occidentales prædicant*) . *Quamquam eorum Sedem non ipsi magis , quam reliqui , ac tota Ecclesia, atque Orientales non minus , quam Occidentales prædicant* . „ Juste oppido, ac vere hæc scripta sunt ; Quod enim Orientales, atque Occidentales Romanorum Pontificum doctrinam, & traditionem suscipiant , revereantur , amplectantur firmissime, atque ei adhæreant palam fiet paulo inferius .

(*Romani Pontifices sunt testes omni exceptione majores*) : Quod autem eis de Sedis ipsorum magnitudine disserentibus fides præstanda sit jura omnia clamant, quæ statuunt credendum esse illis, quorum testimonia, ut ajunt, *omni exceptione majora sunt* , nec ratio ulla firmissima suadeat, illis non esse credendum, aut de ipsorum assertis justam, rationibusque gravibus innixam suspicionem haberi posse ; quæ dubitandi rationes in Romanis Pontificibus locum non habent.

(*Non agunt ipsi causam sibi propriam ; bene vero S. Ecclesiæ*). Non enim illorum causa isthæc propria est, sed Ecclesiæ, gentibusque omnibus communis; Atque in iis, quidam Latini erant, alii Græci, partim Hispani, partim Africani, partim Galli, & Germani, quibus fere hominibus Ecclesiæ Romanæ caussa non solum propria non erat, sed erat etiam aliena .

(*Fuerunt in his præclarissimi Viri, & sanctitate insignes*). Fuerunt quoque inter illos Viri plurimi (non omnes dicam ad declinandas nonnullorum turbas) adeo graves, integrique doctrina, vita, moribus, imo etiam ab Ecclesia inter Sanctos relati, ut eorum dicta suspecta esse nec debeant, nec vero possint .

(*Nonnulli etiam ab Apostolis haud remoti : Unde nec potuerunt illudere aliis ; imo potius doctrinam ab Apostolis acceptam tradiderunt*) . Accedit , quod nonnulli ex his ab Apostolorum ætate non fuere adeo remoti , ut adulterare sanam doctrinam facile potuerint , etsi voluissent , quam a majoribus acceptam fideles , & Sacri Pastores , ut a proximo habitam conservabant ; & ipsi etiam Pontifices doctrinam tradebant acceptam ab Apostolorum sæculo , cui nullam fictionis notam inurere nisi impiis , & perfrictæ frontis hominibus permissum sit .

XIX. (*Non poterant hæreditario jure dignitatem transmittere , unde non respiciebant carnem , & sanguinem*) . Sed multa ad rem observanda supersunt . Sane Pontifices Summi dum jura S. Sedis asserebant , non respiciebant certe carnem , & sanguinem , quum scirent supremam in omnes quaquaversum Ecclesias jurisdictionem hæreditario jure cognatis , & sanguine conjunctis haud se posse trasmittere .

(*Rescripta dabant etiam pro Oriente ; & palam loquebantur*) . Rescripta dabant in Causis etiam Orientalium ; litteras ad Imperatores mittebant , ad Patriarchas , ad Metropolitas , ad Episcopos &c. etiam Orientis . Uno verbo ; loquebantur palam , Ecclesia universa audiente , recipiente , ac nemine refragante , aut contradicente , nisi esset hæreticus , aut de hæresi judicandus .

XX. (*Doctrina de Primatu Romini Pontificis ad fidei depositum pertinet*) . Ut autem omne os obstruatur , dicam amplius . De catholico Dogmate agitur quando de Primatu auctoritatis Summorum Pontificum sermo est .

(*Fidei depositum Romani Pontifices immaculatum semper servarunt , servant , & servabunt*) . Ast eam , quæ ab Apostolis est , traditionem , quamque Apostoli a Christo Jesu acceperunt ; fideique depositum , non ab ipsis inventum , sed ab Apostolis Ecclesiæ consignatum , Supremi Romani Antistites immaculatum jugiter , Deo protegente , servarunt , ac servant , atque servabunt . Non nostram sententiam , aut opinionem pronunciamus : Tota antiquitas , Patres , & Generalia Concilia , idest Ecclesia universa , docuit nos quod asserimus .

(*Cum agitur de fide , & moribus ipsi falsum docere Ec-*

clesiam non possunt). Proindeque firmum, & immobile est, quod Romani Pontifices dum agitur de fide, ac de moribus falsum docere Ecclesiam nequeant; quodque vera sit, Apolica, ac de fide ea doctrina, quam ipsi tenent, ac tradunt, itaut qui ab ea recedunt, ab Apostolica, & sana doctrina recedant.

XXI. (*Probantur asserta litteris S. Clementis I. PP.*). Verissime hæc asserimus. Enim vero 1. *Ecclesiæ sæculo*, anno fere 97., *S. Clemens PP. I.*, ut narrat *S. Irenæus lib.* 3. *advers. hæres.cap.*3. a Corinthiorum Ecclesia consultus „ scri„ psit potentissimas litteras Corinthiis ad pacem eos con„ gregans, & reparans fidem eorum, & annuntians, quam „ in recenti ab Apostolis acceperat, traditionem „; quam Epistolam *S. Dionysius Corinthiorum Episcopus apud Euseb. lib.* 4. *cap.* 23., *S. Epiphanius hæres.* 27., *S. Hieronymus lib. de Vir. illustr. cap.*15.,aliique antiqui Patres memorarunt.Observandum hoc loco est; *primo* quod traditionem ab Apostolis acceptam integram, inviolatamque retinuit S. Clemens, ut pretiosum depositum, in cujus conspectu divitias nihil esse duxit, eamque alios fidelissime docuit; *tum deinde*, quod ab initio, nempe sæculo ipso Apostolico Ecclesiæ Orientales, qualis erat Corinthiorum (non solum Occidentales) Summos Pontifices de rebus fidei, ac morum interrogabant, prout sequentibus ætatibus de toto Mundo actum est, non alia certe de causa, nisi quod immaculatam ipsos servare fidem omnes undique fideles persuasissimi erant.

(*Nec non sententiis S. Irenæi*). Sed & repetamus verba *S. Irenæi*, cujus auctoritas quanti a Græcis ipsis facienda sit *in Proœmio nostro* (num. 29.) monuimus. Hic *lib.* 3. *adv. hæres. cap.* 3. gravissime, ac peremtoria sententia ait „ Ma„ ximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ a gloriosis„ simis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, „ & constitutæ Ecclesiæ eam, quam habet ab Apostolis tra„ ditionem, & annuntiatam omnibus fidem per successio„ nem Episcoporum venientem usque ad nos, indicantes, „ confundimus omnes eos, qui quoquomodo vel per sui „ placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcita„ tem, & malam sententiam, præterquam oportet, colli-

„ gunt . . . . Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt *undique fideles*, in qua sempe ab his, qui sunt undique conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio „.

XXII. (*Insuper & Tertulliani*). Certissimum theorema istud *Tertullianus* habuit, qui *lib. de præscript. cap. 36.*, hæreses profligabat inquiens „ Age jam, qui voles curiositatem melius exercere in negocio salutis tuæ; percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsident; apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem uniuscujusque . . . . . Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est. Ista, quam felix Ecclesia! cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt: ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur; ubi Paulus Joannis exitu coronatur; ubi Apostolus Joannes postea quam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur: videamus quid didicerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit: Unum Deum novit, Creatorem universitatis, & Christum Jesum ex Virgine Maria Filium Dei Creatoris, & carnis resurrectionem: Legem, & Prophetas cum Evangelicis, & Apostolicis litteris miscet, & inde potat fidem: eam aqua signat, Sancto Spiritu vestit, Eucharistia pascit, Martyrium exhortatur, & ita adversus hanc institutionem neminem recipit. Hæc est institutio, non dico jam, quæ futuras hæreses prænuntiabat, sed de qua hæreses prodierunt. Sed non fuerunt ex illa, ex quo factæ sunt adversus illam. Etiam de olivæ nucleo mitis, & optimæ, & necessariæ, asper oleaster oritur: etiam de papavere ficus gratissimæ, & suavissimæ, ventosa, & vana caprificus exurgit. Ita & hæreses de nostro frutice, non nostro; genere veritatis grano, sed mendacio sylvestres „. Poterat ne *Tertullianus* ex Africa magnificentius de integritate fidei, & fideli sacri depositi custodia in Romana Ecclesia clamare? De nulla alia Ecclesia ita locutus est; unde & super alias omnes his verbis eam extollit.

XXIII. (*Idem confirmat S. Hieronymus*). A *Tertulliano* ne in apice quidem discrepat *S. Hieronymus*, qui *sæculo Ecclesiæ V. Eplst.* 15. *ad Damasum PP.*, dum Orientis scissuram ab unitate deflet, Romani Pontificis inconcussæ fidei indivulse adhærens : „ Quoniam (ait) vetusto Oriens inter „ se populorum furore collisus indiscissam Domini tunicam, „ & desuper textam minutatim per frusta discerpit . . . . . „ ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam . . . . . A Sacerdote victimæ „ salutem, a Pastore præsidium ovis flagito . . . . . cum „ Successore Piscatoris, & discipulo Crucis loquor . „

XXIV. (*Hoc Romani Pontificis Privilegium nititur verbis Christi Domini*). Neque vero putandum est, Tertullianum, S. Hieronymum, ac alios Patres, & insignes Viros, qui de Romanis Pontificibus ita senserunt, opinioni privatæ, ac proprio sensui adhæsisse. Nam privilegium hoc Pontificis Summi, ne errorem fidei adversum pro veritate tradat dum loquitur ut Doctor Christianorum, in verbis D. N. J. C. solidatur, qui B̃mo Petro dixit „ Tu es Petrus &c. (*Matt.* 16. „ 18.) „ Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides „ tua ; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos „ (Luc. 22. 32.) ; quæ verba Petro quidem dicta sunt, sed „ in Petro etiam cæteris Successoribus ejus „ .

(*Quod tradidit S. Hormisda PP. celebri Formula, quam universa Ecclesia venerata est*). Non nostra loquimur, sed Ecclesiae voce personamus : Placet ad hoc uti fide Scriptoris Romanis Pontificibus haud certe plus aequo adhaerentis, nempe memorati *Auctoris Defens. Cleri Gallicani par.* 3. *lib.* 12. *cap.* 7. 8., qui celebrem refert formulam, seu potius fidei Professionem *a S. Hormisda PP. sæculo VI. ad Orientales datam*, quam Ecclesia Catholica venerata est : „ S. Hormisdæ „ (ait ille), ac Justini Augusti tempore Ecclesiae Orientales „ hanc adversus Acacium Eutychetis defensorem, a B̃mo „ PP. missam Formulam jussi subscripserunt „ *Prima salus* „ *est rectæ fidei regulam custodire, & a Patrum traditione* „ *nullatenus deviare; quia non potest D. N. J. C. prætermitti* „ *sententia dicentis* : *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædi-* „ *ficabo Ecclesiam meam. Hæc, quæ dicta sunt, rerum pro-* „ *bantur effectibus : quia in Sede Apostolica immaculata est*

„ *semper servata religio* „ Ergo (prosequitur Auctor) ut „ semper servaretur ad hæc Christi promissa referunt. Subdunt postea (nempe Orientales subscribentes) : „ *Unde* „ *sequentes in omnibus Apostolicam Sedem , & prædicantes* „ *ejus omnia Constituta , spero , ut in una communione vobis-* „ *cum , quam Sedes Apostolica prædicat , esse merear , in qua* „ *est integra , & verax christianæ religionis soliditas : promit-* „ *tens etiam sequestratos a communione Ecclesiæ Catholicæ ,* „ *idest non in omnibus consentientes Sedi Apostolicæ , eorum* „ *nomina inter sacra non recitanda esse Mysteria . Hanc au-* „ *tem professionem meam propria manu scripsi , & tibi Hor-* „ *misdæ Sancto , & Venerabili PP. Urbis Romæ obtuli* „ . „ Atque hæc professio (inquit Auctor) ab Hormisda Pontifice dictata , ab omnibus Episcopis Orientalibus , eorumque antesignanis Constantinopolitanis Patriarchis est recepta . Qua de re Occidentales Episcopi , praesertim Gallicani , multum in Domino collaetantur , ut certum sit , „ hanc Formulam à tota *Ecclesia comprobatam* „ . Verissimum , quod S. Hormisdae tempore Episcopi totius Orientis ipsi formulae (ab Occidentalibus Antistitibus humiliter receptae) subscribendo , contra errores Acacii fidem suam professi sunt .

(*Huic eidem Formulæ subscripsit Conc. Generale VIII.*) Verum itidem , quod deinceps , nempe *nono sæculo in Generali Concilio VIII. Constantinopolitano IV.* ipsimet Formulae acclamatum est , cum ei omnes Synodi Patres subscripserint, ut inferius latius , cum de Conciliis Generalibus sermo erit . In hoc autem tam venerando , tam publico , tam in Ecclesia Catholica celebri monumento graviter observandum : Quod in eo de fide agebatur, illudque ad salutare adversus errores antidotum (fidei enim Professio erat) datum fuit nedum a Summo Pontifice Orientalibus , sed *& ab Hadriano II. Patribus Constantinopolim* congregatis , & qua tale ab Episcopis universi Orbis , & ab Oecumenica Synodo submisse receptum ; ad fidem itaque pertinere dicendum est in eo contentam , ac traditam doctrinam , eo vel maxime , quod procemii verba circa fidem versantur , scilicet „ *Prima salus est rectæ fidei regulam custodire , & a Patrum traditione nullatenus deviare* „ : Quod in illamet Formula non hæsitando , sed

firmissime asseritur, in Sede Apostolica immaculatam semper servatam fuisse religionem ex Privilegio a Christo Domino, non Apostolis cæteris, sed Petro dignanter concesso illis verbis „ *Tu es Petrus &c.* „: Quod nedum *de S. Hormisda, sed & de Hadriano II.* (cujus ætate, quatuor fere sæculis tardiore, a Generalis Concilii Patribus fidei illa Formula subscripta fuit) verificari oportuit, quod Sedes Apostolica integram, ac inviolatam religionem servaverit; ac per consequens omni ævo servabunt Romani Pontifices usque ad consumationem sæculi, quia Christi Domini verba non præteribunt: Quod à communione Ecclesiæ Catholicæ sequestrati dicuntur, qui Sedi Apostolicæ in omnibus non consentiunt; & idem esse pronunciatur *non consentire in omnibus Apostolicæ Sedi, ac sequestrari ab Ecclesiæ Catholicæ communione*. Quid manifestius, quid firmus, quid illustrius dici potest de integritate fidei Romanæ Sedis, ejusque Pontificum? Nil certe: maxime cum a Catholica Ecclesia sententia prolata sit.

XXV. (*Idem tradiderunt etiam* : *S. Petrus Chrysologus*). Hanc a majoribus acceptam doctrinam tradiderat *sæculo V. S. Petrus Chrysologus Epist. ad Euthyc.* „ Beatus Petrus (in„ quiens) qui in propria Sede vivit, & præsidet, præstat „ quærentibus fidei veritatem „:Tradiderunt insuper *sæculo V*• (*S. Maximus M.*) *S. Maximus M. Græcus Epist. ad Maximum Diac. apud Baron. ad an.* 648. „ Ab initio enim adventus „ Incarnati Verbi universæ ubique terrarum Christianorum „ Ecclesiæ a S. Romanorum Ecclesia originem habuerunt, „ fundamentum solidum, & maximum, contra quod por„ tæ inferi nullo pacto prævalebunt juxta ipsiusmet Salvato„ ris promissionem, ut habeat Claves scilicet orthodoxæ „ fidei, & confessionis, & aperiat illis, qui ad hanc ipsam „ Romanam Ecclesiam cum pietate accedunt. „ (*Et S. Theodorus Studita*). *S. Theodorus Studita Græcus, qui IX. sæculo vixit Epist. ad Naucratium* Romanam Sedem vocat „ Su„ premum verticalem Thronum, in quo Christus fidei Cla„ ves posuit, adversus quem non prævaluerunt umquam, „ nec prævalebunt usque ad consummationem sæculi portæ „ inferi, ora scilicet hæreticorum, sicut pollicitus est qui „ non mentitur „. Ex quibus verbis *Gennadius Constantino-*

politanus Patriarcha in Exposit. pro Concilio Florentino Cap. V. Sect. XVII. ita colligit adversus Græcos dissidentes „ Si „ numquam prævaluerunt hæretici adversus Christi Eccle- „ siam ; quomodo audetis dicere , eam errare , quæ inerrans „ a Doctoribus prædicatur „ ? Quo loco observandum , pro eodem sumi a Gennadio Ecclesiam Romanam , & Ecclesiam Christi , hoc est Catholicam : Idemque sanctissimus Confessor *Theodorus Epist. ad Paschalem I. PP. scripsit* „ Vos igitur vere illimis fons , ac sincerus jam inde a principio ve- „ ræ fidei . Vos ab omni hæreticorum procella longe positi , „ securus totius Ecclesiæ portus . Vos a Deo electa Civitas „ ad salutis refugium „ .

XXVI. (*Eamdem sententiam tenuit S. Sophronius*) De S. Sophronio Patriarcha Hierosolymitano , *qui VII. Sæculo floruit , Stephanus Episcopus Dorensis in Libello*, qui lectus est *in Concil. Rom. sub S. Martino I.* retulit , quod seipsum super Calvariæ Montem secum duxit Sophronius , ac per Sanguinem D.N.J.C. eo in loco pro nostra , omniumque salute fusum inviolabis promissiónis vinculo coegit ad arripiendum iter Romam quo celerius posset , ut a Summo Pontifice firmamentum deprecaretur fidei , quæ in Oriente periclitabatur , doctrinas in Ecclesia novas disseminante Theodoreto de Pharan primo hæreticorum Monothelitarum auctore : *Quantocius ergo* (Patriarcha doctus æque , ac sanctus , qui luculentissimis scriptis hæresim exagitavit , Stephano Episcopo dicebat) *de finibus terræ ad terminos ejus* „ deambula , donec ad Apostolicam Sedem , ubi orthodo- „ xorum dogmatum fundamenta existunt , pervenias &c.

XXVII. (*Et S. Agatho PP. in litteris a Synodo Generali VI. probatis*) . Sed & *S. Agatho PP. ad Constantinum Pogonatum* Orientis Imperatorem *dogmaticam dedit Epistolam* , in qua ajebat inter cætera „ Apostolicam Romanam Ecclesiam „ numquam a via veritatis in qualibet erroris parte defle- „ xisse „ Has easdem litteras *in Concilio Constantinopolitano III. Generali VI. anni* 680. Georgius Patriarcha Constantinopolitanus cum sibi prius tradi postulasset , *Actione VIII.* professus est , se eas amplecti , eamdemque fidem sectari ; Ejusdemque Georgii fidem festiva acclamatione commendavit Synodus „ *Georgio orthodoxo Patriarchæ multos an-*

nos „ ; ac omnes Episcopi Sedi Constantinopolitanæ subditi cum Georgio se sentire, Agathonis Epistolam suscipere, fidem profiteri, oppositam hæresim condemnare contestati sunt.

XXVIII. (*Epistolæ Orientalium, & Occidentalium lectæ in Conc. Lateranen. sub S. Martino I. PP. assertum nostrum evincunt*). Opportunum hic alia subnectere, quæ addit *Auctor Defens. Cleri Gallic. loc. paul. sup. cit. Cap.* 8. „ *In Concilio Lateranen.* (ait) *sub Martino PP.* (nempe Marti„ no I.) leguntur Epistolæ, ac Supplicationes Orientalium „ æque, ac Occidentalium, quibus Sedis Apostolicæ, Ro„ manique Pontificis dignitas, & auctoritas mirifice com„ mendantur; quod ejus sit definire de summæ fidei rebus, „ deponere hæreticos, rectam pronunciare, ac firmare sen„ tentiam; aliaque ejusmodi, quæ ad ejus officium perti„ nere nemo Catholicus negaverit: Hæc igitur vehemen„ ter inculcant, ubi *illud sempiternum exponunt, quod defi„ cere non possit.* „ Refert etiam Auctor idem illustre Sedi suæ redditum a *S. Agathone Pontifice* testimonium, quod *in Concilio Generali VI.* plausu communi elatum fuit; ac concludit Auctor „ Hæc præclara, hæc magnifica, hæc ve„ ra sunt . . . . Nec Romani Pontifices umquam aliter lo„ cuti „.

XXIX. (*Aliæ præclarissimæ S. Agathonis PP. litteræ summis laudibus ab eadem Synodo Generali VI. celebratæ*). Et revera *S. Synodus VI. Generalis in Litteris ad S. Leonem II. PP. de Epistola S. Agathonis ad Synodum ipsam data* hæc scribit „ Velut ipsum Principem Apostolici Chori, primæque „ Cathedræ Antistitem Petrum contuiti sumus, mentium „ nostrarum oculis totius dispensationis mysterium divini„ tus eloquentem . . . . Nam ipsum totum Christum no„ bis sacræ ejus litteræ disserendo exprimebant, quas om„ nes libentibus animis, sincereque accepimus, & velut „ ipsum Petrum ulnis animi suscepimus „. *In Epistola* autem *ad Imperatorem Constantinum Pogonatum*, quæ *in eadem Synodo VI. Act. IV.* lecta est; *& approbata Act. VIII.* „ *tamquam a Spiritu Sancto dictata per os Sancti, ac Bmi Principis Apostolorum Petri* „ scribit *Agatho* : „ Hæc est veræ fidei „ Regula, quam & in prosperis, & in adversis veraciter „ tenuit, ac defendit hæc spiritalis mater vestri tranquil-

„ lissimi Imperii, Apostolica Christi Ecclesia: quæ per „ Dei omnipotentis gratiam a tramite Apostolicæ traditio- „ nis numquam errasse probabitur, nec hæreticis novitati- „ bus depravata succubuit; sed ut ab exordio fidei chri- „ stianæ percepit ab Auctoribus suis Apostolorum Princi- „ pibus, *illibata fine tenus permanet secundum Christi ipsius* „ *Domini Salvatoris Divinam pollicitationem*; *quam suorum* „ *Apostolorum Principi in S. Evangeliis* fatus est: *Petre, ecce* „ *Sathan expetivit, ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum.* „ *Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua; & tu ali-* „ *quando confirma fratres tuos*. Consideret itaque vestra „ tranquilla Clementia, quod Dominus, & Salvator om- „ nium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam „ promisit, confirmare eum fratres suos admonuit: quod „ Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædecessores con- „ fidenter fecisse semper, cunctis est cognitum; quorum „ & pusillitas mea, licet impar, & minima, pro susce- „ pto tamen divina dignatione mysterio, pedissequa cupit „ existere „

XXX. (*Formula S. Hormisdæ, & Epistolæ S. Agathonis se referunt ad Christi promissa, quæ præterire non possunt*) Vides, quod ad eamdem sententiam referantur *Formula, seu Professio fidei a S. Hormisda* dictata *initio Sæculi VI.*, *& S. Agathonis litteræ acclamatæ in Concilio Generali VI. Constantinopolitano III. sub finem Sæculi VII.* celebrato, nempe, quod Romani Pontifices nusquam a vera fide declinaverunt *propter Christi promissa*; unde nec umquam poterunt ab ea declinare, quia „ *Cælum, & terra transibunt, verba autem ejus non præteribunt* „ (Matth. 24. 35.)

XXXI. (*Ex his sequitur, hæreses esse ea, quæ dogmatibus a S. R. Ecclesia traditis adversantur*). Hæc si meditarentur in salutis æternæ sollicitudine omnes, qui a fide Romanæ, & Catholicæ Ecclesiæ desciverunt, & abalienati permanent, non utique evanescerent in cogitationibus suis, nec proprio sensui adhærerent circa ea dogmata, ob quæ ab Ecclesia ipsa eligunt sequestrari. Quum enim nunquam a sanctissimæ fidei puritate discordet fides Romanæ hoc est Catholicæ Ecclesiæ, sequitur nonnisi inter hæreses deputari posse doctrinas ab ea fide alienas; ac per consequens er-

ronea esse ea omnia, quæ ipsi contra sensum ejusdem Ecclesiæ profitentur, sive de Primatu jurisdictionis Summi Pontificis, sive de aliis dogmatibus sermo sit.

XXXII. (*Tenebat hoc Isaac Primas Magnæ Armeniæ*). Sentiebat hoc idem ac nos *Isaac Catholicus*, *seu Primas Magnæ Armeniæ*, qui *floruit circa medium XI. Sæculi*. Etenim *in Orat. advers. Armenos idem sapientes ac Eutyches, & Dioscorus* (*Bibliot. Lugdunen.*), ut integritatem fidei Romanorum Pontificum adstruat Christi Servatoris promissa memorat, ac eos his verbis alloquitur: „ Quæso ergo vos, o Armenii . . . . Christus Dei Filius mendax ne videtur, necne? Quod si dicant non esse mendacem; atqui Christus ipse dixit Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam* „, idest hæreses. Qui itaque blaspheme dicitis, Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam lapsam in hæresim periisse, ac Christum mendacem facitis, dicentes Romanos omnes in interitum ire, vosque solos consequi salutem? „; ac prosequitur Isaac „ Qui vero Magnæ Urbis (Romæ nempe) Antistites, SS. Apostolorum Confessores, ac fidei hæredes, qui duas naturas, duasque operationes in Christo prædicant, uti Dominus ipse in Evangelio docet, blasphemant, eorumque pietatem impietatem nuncupant, ac confessionem negationem dicunt: rectamque fidem alienam a fidei doctrina, nec horrent qui impie illos anathemati subjiciant? Siquidem enim Apostolica Ecclesia, ejusque Pontifices in hæresim prolapsi sunt, uti Christi adversarii blasphemant, palam est *mendacem esse Christum* „. (*Et docuerunt: S. Bernardus*). Neque etiam aliter tradiderunt *S. Bernardus Epist.* 190. *ad Innoc. II.* „ Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala Regni Dei, præsertim quæ de fide contingunt. Dignum nempe arbitror ibi resarciri damna fidei, *ubi non possit fides sentire defectum*. Cui enim alteri Sedi dictum est aliquando „ *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua?* „ (*Et S. Thomas Angelicus*). *S. Thomas in Catena Evangelior. ad cap.* 16. *S. Matthæi* ubi ait „ Secundum autem hanc Domini promissionem Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, hæreticaque

„ circumventione manet immaculata, super omnes Præpo-
„ sitos, & Episcopos, & super omnes Principes Ecclesia-
„ rum, & Populorum in suis Pontificibus, in fide plenis-
„ sima, & auctoritate Petri. Et cum aliæ Ecclesiæ quo-
„ rumdam errore sint verecundatæ, stabilita inquassabili-
„ ter ipsa sola regnat, silentium imponens, & omnium
„ obturans ora hæreticorum; & nos necessario salutis,
„ non decepti superbia, nec vino superbiæ inebriati, ty-
„ pum veritatis, & sanctæ Apostolicæ traditionis, una cum
„ Ipsa confitemur, & prædicamus „ (Confiteamur & nos, Charissimi, & prædicemus, ne vino Superbiæ inebriati, aut Superbia decepti viam veritatis deseramus, & ob id ea, quæ sunt de necessitate salutis miserrime deseramus). Omnes ætates præteritas, ac futuras tangit, omnesque Romanos Pontifices, traditioni sanctissimæ inhærens (præter alios relatos) *S. Bernardi*, *ac S. Thomæ* doctrina, cum ex Christi promissis more eorum solidissime ratiocinentur.

XXXIII. (*Antiquissimus mos in Ecclesia a suis incunabulis consulendi Romanos Pontifices*). Hac de causa in Ecclesia Catholica antiquissimus mos, imo ab ejus incunabulis, usurpatus, & retentus fuit consulendi Romanos Pontifices in rebus fidei, ac doctrinæ. Id Corinthiorum Ecclesiam fecisse I. Sæculo ad S. Clementem I. PP. confugiens supra tetigimus innixi testimonio S. Irenæi: Id constat insuper ex innumeris Epistolis Decretalibus Pontificum eorumdem, itaut adeo certa res sit, ut nec indigeat probatione. *S. Hieronymus in Epist.* 133. asserit, multam se operam præbuisse S. Damaso Papæ in pluribus conscribendis litteris, quibus *Orientis*, *atque Occidentis Synodicis consultationibus* Sanctus Pontifex respondit. (*Et quærendi ab Ipsis declarationes in dubiis circa fidem*). Sed & a Romano Pontifice declarationes in dubiis circa fidem, petendas esse scripsere *Orientales Episcopi Orthodoxi anno Christi* 820., inter quos clara luce fulgebat *S. Theodorus Studita ad Michaelem Balbum Imperatorem* (*inter ejusdem S. Theodori Epistolas* 86. *lib.* 1.). Etenim cum Michael Iconomachorum erroribus imbutus jussisset, omnes Episcopos orthodoxos adesse Constantinopoli, ut cum Iconomachis de ineunda, in quæstione de cultu sacrarum Imaginum, concordia delibera-

rent; responderunt Catholici Episcopi se non posse cum hæreticis conferre: „ *Quod si* (addunt) *quod est hujusmodi* , „ de quo ambigat, aut diffidat divina Magnificentia vestra „ pie a Patriarcha dissolvi posse: jubeat . . . ad commu- „ nem utilitatem a vetere Roma suscipi declarationem , „ prout olim, & ab initio paterna traditione transmissus „ mos fuit: (*Romana enim suprema Ecclesia est, cui Dominus dixit*: „ *Tu es Petrus &c.* „) *Hæc enim Suprema est Ecclesiarum Dei, in qua Petrus Sedem primus tenuit, ad quem Dominus dixit* „ *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam* „ . Hæc orthodoxorum Græcorum Antistitum firma persuasio; hic mos etiam in Oriente paterna antiqua traditione transmissus. (*Nullus suspicabatur, errorem prolaturos Romanos Pontifices dum Ecclesiam docent fidem, aut bonos mores*). Nullus enim suspicabatur quin Romani Pontifices Doctores Ecclesiæ essent; nec timebat quis, eos errorem prolaturos contra fidem, aut bonos mores, cum ad consulta, ut Doctores Ecclesiæ, respondent. (*Epistolas Romanorum Pontificum antiquitas venerata est*). Eorumdem autem Pontificum Epistolas tanta veneratione recipiebat antiquitas, ut *ex Oriente S. Dionysius Corinthiorum Episcopus Sæculo II. ad S. Soterem PP.* scriberet, eas legi in Ecclesia solitas diebus Dominicis „ Hodie (ajebat Dionysius) San- „ ctum diem Dominicum transegimus, in quo vestram legi- „ mus Epistolam: quam quidem, perpetuo legentes perinde *ac priorem nobis a Clemente* (S. Clemente I. PP. supramemoratam) *scriptam, unde optimis monitis instruamur, habemus* „ *Viden. Eusebius lib. 4. cap. 23.* „: Et *Constantinopoli SS. Monachi Monasterii Dii* ob defensionem fidei Catholicæ, cum ferrent *litteras S. Felicis PP. III. adversus Acacium*, dirissime cæsi sunt.

XXXIV. (*Concilia Oecumenica, etiam Orientalia, confirmationem Canonum a Summo Pontifice petierunt*). Œcumenicæ etiam Synodi non in Occidente solum, bene vero & in Oriente habitæ a Romanis Pontificibus Canonum suorum Dogmaticorum humillime, & instanter petierunt confirmationem. (*Eo quod pro certo haberent, a fide Eum non posse deficere quando loquitur ut Doctor fidelium*). Quare hoc?

Nisi ex eo, quod certissimum habebat Ecclesia Catholica, illos tunc cum responsa proferunt ut Doctores Christianorum, numquam a fide defecisse, sed ne deficere quidem posse? Aliter enim Concilia isthæc periculo exposuissent erroris definitiones suas. Igitur indubitanter Ecclesia judicabat, Pontifices Summos fidei depositum jugiter custodire fidelissime, & traditionem a Majoribus acceptam sanctissime servare, & docere Christianos (*Id præstitit Concilium Generale VI.*). Revera *Generale Concilium VI. Constantinopolitanum III. Sæc. VII.* celebratum, fidei definitione contra Monothelitas edita, ac omnium Patrum subscriptionibus munita, *relationem Synodicam dedit ad S. Agathonem Pontificem Maximum*, quam *cum Actis Synodi* transmisit per Legatos, confirmationem Concilii ab Ipso postulans his verbis „ „ Orthodoxæ autem fidei splendidam lucem Vobiscum clare „ prædicavimus: Quam ut iterum per honorabilia vestra „ Rescripta confirmetis, vestram oramus Paternam Sancti- „ tatem „ Ad hæc; scripserunt Patres ad Agathonem in Synodicis litteris: „ Maximi morbi majoribus indigent auxiliis: „ atque idcirco Christus verus Deus noster sapientem dedit „ medicum vestram a Deo honoratam Sanctitatem, conta- „ gia hæreticæ luis fortiter propulsantem remediis orthodo- „ xiæ, ac valetudinis robur membris Ecclesiæ largientem. „ Itaque Tibi, ut primæ Sedis Antistiti universalis Eccle- „ siæ, *quid gerendum sit relinquimus*, *stantis supra firmam fi-* „ *dei petram*: libenter perlectis vestræ confessionis litteris „ a Vestra paterna Beatitudine ad piissimum Imperatorem „ missis, quas ut a Summo Apostolorum vertice divine „ præscriptas agnoscimus; per quas exortam nuper multi- „ plicis erroris Sectam hæreticam depulimus . . . *ac ipsos* „ (hæreticos) . . . . *anathematibus* interfecimus, ex Sen- „ tentia per sacras vestras litteras de iis prius lata „: *Et Constantinus Pogonatus in Epistola ad Concilium Occidentale transmissa post ejus dem Synodi celebrationem*, sic Episcopos Occidentales alloquitur „ Interfuistis namque & Vos „ cum universali Principe Pastorum (Romano Pontifice Aga- „ thone) simul cum Ipso divinitus loquentes tam in spiritu, „ quam in littera . . . & tamquam ipsius divini Petri vo- „ cem. Agathonis relationem supermirati sumus „ En quo-

modo loquitur Œcumenica Synodus, quamvis in Oriente habita, & in Urbe Imperiali. Cum autem paulo post vulgata esset mors S. Agathonis PP., ac Legati Apostolici Constantinopoli moram traherent, S. Leonis II. in Romanum Pontificem inauguratione secuta, ad Ipsum scripsit per Legatos ipsos Romam redeuntes Constantinus Augustus pro confirmatione Concilii. Rescripsit S. Leo ad Imperatorem, ad Ipsumque direxit Epistolam Synodi VI. confirmatricem (*Nec non & Synodus Oecumenica VIII.*). Insuper Synodus *Constantinopolitana IV. Oecumenica VIII.* (cujus œcumenicitatem adversus Photii Sectatores inferius ostendemus, cum de Conciliis Generalibus in probationibus hujus Proposit. II. separatim sermo erit) Canonum suorum tam de fide, quam de disciplina *ab Hadriano II. PP.* confirmationem petiit: „ Igitur (ait) libenter oppido, & gratanter imitatrice „ Dei Sanctitate vestra omnium nostrum Conventum, & „ universalis hujus, atque Catholicæ Synodi consensum, „ & consonantiam recipiente, prædica eam magis, ac veluti propriam, & sollicitius confirma coangelicis præceptionibus, & admonitionibus vestris, ut per sapientissimum Magisterium vestrum etiam aliis universis Ecclesiis „ personet, & suscipiatur veritatis verbum, & justitiæ Decretum „.

XXXV. (*Concilia Generalia declararunt, Romanam Ecclesiam esse omnium Ecclesiarum, ac fidelium Matrem, & Magistram*). Quid plura? Quod asserimus in sacris Oecumenicis Conciliis continetur (*De Concilio Generali VIII.*). Sane *Concilium Oecumenicum VIII. in Litteris ad Hadrianum II. hic supra allatis* solemni actu profitetur Magisterium in universa Ecclesia Romani Pontificis verbis illis: „ *ut per* „ *sapientissimum Magisterium* vestrum etiam aliis universis „ Ecclesiis personet, & suscipiatur veritatis verbum „

XXXVI. (*De Concilio Lateranensi IV.*) *In Synodo Generali Lateranensi IV. initio Sæculi* 13. *celebrata* sub Innoc.III. quæ *Magna* merito dicta est, in qua adfuere Episcopi 412., Patriarchæ Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus, ac Patriarcharum Antiocheni, & Alexandrini, qui gravissimo detinebantur impedimento, Procuratores, multi etiam Metropolitæ, & Episcopi Græci, Oratores Imperatorum Ro-

mani, & Constantinopolitani, ac plurium Regum; innumerique alii Abbates, Priores, Procuratores Prælatorum, & Capitulorum: In hac Synodo conditus est *Canon V.* Patriarchalium antiqua privilegia renovans, & hæc habens „ Post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Domino *su-* „ *per omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpo-* „ *te Mater universorum Christifidelium, & Magistra*, Con- „ stantinopolitana primum . . . *locum obtineant* „. Acta hujus Concilii in græcam è latina lingua translata fuerunt, quæ translatio in Synodo facta videtur, ut Græci Præsules secum ejus Decreta deferrent.

XXXVII. (*De Concilio Lugdunen. II.*). *Concilio Generali Lugdunensi II. Sæcul.* 13. habito interfuere Patriarchæ Constantinopolitanus, & Antiochenus, quingenti Episcopi, Abbates 70., Prelati inferiores 1000., Oratores Imperatoris Orientis Michaelis Palæologi; Regum Franciæ; Philippi III. Germaniæ; Angliæ, & Siciliæ. *In hujus Concilii Sess. IV.* lectæ sunt Epistolæ ipsius Palæologi (seu potius ejus fidei Professio) ad Summum Pontificem Gregorium X. totius Ecclesiæ Orientalis scriptæ nomine, in quibus hæc inter alia de Romana Ecclesia leguntur „ Et sicut præ cæte- „ ris tenetur fidei veritatem defendere: sic & si quæ de fide „ subortæ fuerint quæstiones, suo debent Judicio definiri „: Itemque lectæ sunt litteræ Prælatorum Græcorum ad eumdem Pontificem, in quibus se cum Imperatoris fide in omnibus convenire declarabant: „ Hoc scilicet Dei gratia co- „ operata est, ut habeat ex nobis Apostolica Magnitudo ve- „ stræ Sanctitatis Sententiam agnoscere; qualiterque ma- „ gnifico Imperatori nostro, *simul convenerimus in Senten-* „ *tia* „. Quæ litteræ adeo in Generali sacrosancto Conventu probatæ sunt, ut iis habitis, ac perlectis in communionem, & ad unitatem Catholicæ Ecclesiæ recepti fuerint Græci Imperator, & Episcopi.

XXXVIII. (*De Concilio Florentino*). *Concilium Generale Florentinum Sæcul.* 15., cui præsentes fuerunt, & subscripsere Græcus Imperator Joannes Palæologus, Locumtenentes Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni, & Hierosolymitani, aliique Metropolitæ, & Episcopi Orientis, præter Occidentales Episcopos, dogmatico Canone definivit,

Romanum Pontificem „ *Omnium Christianorum Patrem*, *&* *Doctorem existere* „

XXXIX. (*De Concilio Tridentino*) . *Synodus etiam Tridentina Oecumenica*, *&* *in Spiritu Sancto legitime congregata Sess.* 7. *Canon.* 3. *de Baptism.* firmiter pronunciavit : „ Si quis „ dixerit in Ecclesia Romana , *quæ omnium Ecclesiarum Mater est*, *&* *Magistra* , non esse veram de Baptismi Sacra„ mento doctrinam , anathema sit „ : Ac *Sess.* 14. *cap.* 3. *de* „ *extrema Unctione*:„ Nec profecto Ecclesia Romana aliarum „ *omnium Mater* , *&* *Magistra* aliud in hac administranda „ Unctione . . . observat, *quam quod B. Jacobus &c.* „ Nec „ non *Sess.* 22. *cap.* 8. *de Missa vulgari lingua &c.* „ Quam„ obrem retento ubique cujusque Ecclesiæ antiquo , & *a* „ *S. Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Matre* , *&* *Magi*„ *stra* probato ritu &c. „ Tandem *Sess.* 25. *de Delectu Cibo*„ *rum &c.* : „ Insuper hortatur S.Synodus, & per SSmi D.N. „ atque Salvatoris adventum Pastores omnes obtestatur , ut „ tamquam boni Milites illa omnia, quæ *S. Romana Eccle*„ *sia omnium Ecclesiarum Mater* , *&* *Magistra* statuit , nec „ non ea, quæ tam in hoc Concilio , quam in aliis Oecu„ menicis statuta sunt quibuscumque fidelibus sedulo com„ mendent &c. „

XL. (*Quoniam Concilia Generalia indefinite tradidere*, *Romanum Pontificem esse Patrem*, *&* *Doctorem Ecclesiæ*, *id semper verificari oportet* ; *alioquin errarent Generalia Concilia*). His positis , quoniam antiqua traditio , & Generalia Concilia absolute , absque ulla distinctione, ac temporis præfinitione loquuta sunt , negari nequit , quod verum fuerit semper , & quod verum futurum sit jugiter in finem usque sæculorum , *Romanam Ecclesiam* , *&* *Summum ejus Pontificem Patrem esse* , *&* *Doctorem* , *seu Magistrum omnium Christianorum* , *&* *omnium* , *quæ in Mundo sunt* , *Ecclesiarum* . Si autem semel tantum unus , aut alter Pontifex Summus dum docet fideles , & Ecclesias , a sinceritate , & veritate fidei deflecteret , nec Doctor tunc , nec Pater esset Christianorum , quia venenum erroris disseminaret . Quare, si Conciliorum horum sana , & catholica doctrina est (quod concedere unusquisque debet , nisi sensui universalis Catholicæ Ecclesiæ velit contradicere) sequitur , quod aliter esse nec,

potuit umquam, nec usquam possit, nec poterit aliquando, alioquin pro aliquo tempore eadem quinque Concilia Generalia falsum asseruissent; ideoque falsum absolute docuissent quoniam indefinite loquuta sunt. (*Nam tunc non esset Magister, sed Pseudo-Apostolus; non Pater, sed inimicus fidelium*). Igitur, quando Romanus Pontifex docet ut Pater, ac Magister omnium Christianorum, Ecclesiarumque, erroneam pro vera doctrinam dictare nequit, quoniam si posset, non esset aliquando Doctor, sed esset perversor; non Magister esset, sed in Cathedra pestilentiæ sederet; esset pseudo-Christus, pseudo-Apostolus, pseudo-propheta; nec esset Pater fidelium, & Ecclesiarum, sed adversarius, & crudelis inimicus, dans illis pro pane lapidem; pro pisce serpentem, pro ovo porrigens scorpionem. Quis hoc seducta mente, ac voluntate tenebit? quis sacrilego ore affirmabit?

XLI. Non latent nos ea, quæ assertam hucusque Romanorum Pontificum inerrantiam negantes objiciunt; nempe aliquot eorum errata tunc cum de rebus fidei loquebantur. Ast brevi respondebimus ad ea, quæ de singulis Pontificibus venditantur.

(*S. Petrus Ap. errorem non docuit*). *De S. Petro Apostolorum Principe* per transitum agimus. Etenim facile nobis persuademus, omnes, qui Christiana professione censentur, eum Bmo Apostolo honorem delaturos, ut nihil ipsi injuriosum seu tenere, seu dicere velint. Incerta res est, *utrum Cephas*, cui S. Paulus Apostolus restitit, fuerit S. Petrus, cui Christus Cephæ indidit nomen, an unus ex discipulis Domini, cui Cephæ nomen dederunt homines. Pro negativa sententia plurimi fuerunt ex antiquis tam græcis, quam latinis; sunt & aliqui ex modernis. Ab incertis autem non licet arguere, ut certa consequentia deducatur. Verum quisquis fuerit, quem reprehendit Paulus Apostolus, ille nihil fidei adversum loquutus est, nec putavit legem Moysis sub lege gratiæ ex necessitate salutis servandam esse; bene autem quadam prudenti, ut putabat, œconomia a conversatione gentium subtraxit se, ne Judæis recens ad fidem Christi conversis aliqualiter offensioni esset; uno verbo, ejus fuit conversationis error, non doctri-

næ. Clara sunt, nec commentario indigent verba Pauli (*Galat.* 2. 11. *seqq.*) „ Cum autem venisset Cephas Antio-
„ chiam in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius
„ enim quam venirent qnidam a Jacobo, cum gentibus ede-
„ bat, cum autem venissent, subtrahebat, & segregabat
„ se, timens eos, qui ex circumcisione erant . . . . Sad
„ cum vidissem, quod non recte ambularent ad veritatem
„ Evangelii dixi Cephæ coram omnibus: Si tu cum Judæus
„ sis &c. „

(*Nec S. Innocentius I. ut Doctor Christianorum erravit*). Ast dicunt: *S. Innocentium I. in Epistola ad Rufum & Eusebium cap.*1., *& Innocentium III. Cap. Per Venerabilem qui filii sint legitimi* asseruisse, decreta veteris legis observari a nobis debere; quod Sacris litteris adversatur. Quibus respondebimus, quasdam olim leges habuisse a Deo Synagogam non modo ad gubernandum utiles, & accomodas, verum etiam ad plebis cujusque mores, ac religionem instituendam propemodum utiles, ac necessarias, quas Ecclesia Christi in suum usum vindicavit. Quare & Summi Pontifices, & jurisperiti leges aliquot veteres, probatas rursum, ac denuo restitutas ab Ecclesia, *Divinas* vocant, non quod Dei nunc præcepta sint, cum lex illa vetus sit abolita, sed quod Dei præcepta fuerint, servanda etiamnum a nobis, non ex vi quidem veteris legis (quod falso Pontificibus doctissimis impingeretur), sed ex Ecclesiæ nova institutione. Insuper, sedulo animadvertere oportet (quod ad alia hic infra de Summorum Pontificum erratis objecta evertenda omnino valet), in Responsis, & Decretalibus Pontificiis duo cum primis distinguenda esse: Unum est tamquam intentio, conclusioque Responsi; alterum quasi ratio, & causa a Pontifice reddita ejus rei, quam constituit. Cum de conclusione, seu de Responso ipso loquimur, diximus, probavimusque, & iterum dicimus, Summos Pontifices fidei castitatem umquam non violasse, sed nec violare posse: Sin vero rationes, quas nonnumquam proferunt necessariæ non sint, aut etiam minus sint aptæ, probabiles, idoneæ, nihil in iis immorandum; de Responso enim res est, non autem de ratione responsi. *Innocentius primus* igitur statuit, ad Sacerdotium pervenire

non debere, qui Viduas acceperunt Uxores. *Innoc.autem III.* de dispensatione illegitimi agebat, & respondebat; hæc decreti ipsius conclusio, hic finis. Sed si in eorumdem Rescriptorum confirmationem leges enunciant Pontifices isti ex veteri Testamento petitas, non est operæ pretium in rationibus, seu probationibus illis immorari. Nam neque de fide sunt, aut definitiones dogmaticæ probationes illæ, quas interdum, etiam Oecumenica Concilia afferunt in Canonibus ipsis dogmaticis; Definitio siquidem scopus est earum Generalium Synodorum, non autem rationes: Unde definitio de fide est, minime vero probatio. Idem de Responsis Romanorum Pontificum esto judicium; & ob id, si etiam in assumendis probationibus errare eos contingat, non ideo dici potest, eos errare in fide, & a sana catholicæ veritatis doctrina deficere.

(*Neque S. Gelasius I.*) Neque *S. Gelasio I.*, nisi injustissime, inuri potest erroris nota: Siquidem *liber contra Eutychen, & Nestorium*, in quo dicitur, in Altaris Sacramento facta etiam consecratione, panis, vinique substantiam manere, Gelasii genuinum opus non est, ut validis argumentis a doctissimo *Melchiore Cano* probatum, & patefactum *de Loc. Theolog. lib.6. cap. 8. in Resp. ad 9.* Non est igitur, cur de eo loquamur.

(*Non Vigilius*) „ De Vigilio PP. „ loquitur „ Pelagius „ secundus Epist. ad Episcopos Istriæ (apud Labb. Tom.5. „ Concilior. pag. 622.) inquiens „ Si in Trium Capitulo- „ rum negocio aliud cum veritas quæreretur, aliud autem, „ inventa veritate dictum est, cur mutatio sententiæ huic „ Sedi in crimine objicitur, quæ a cuncta Ecclesia humili- „ ter in ejus Auctore veneratur? Non enim mutatio senten- „ tiæ, sed inconstantia sensus in culpa est „ Et revera Vigilius dum in trium Capitulorum condemnatione, & approbatione mutavit sententiam, sub examine adhuc, & diligenti discretione rem omnem discutiebat, quousque in Generali Concilio terminaret. Post Conventum enim, quem Vigilius ipse Constantinopoli habuit, *Judicatum* abrogavit „ denuncians, quia si quis Græcorum Episcoporum „ usque ad universalis Concilii tractatum de ipsis Capitu- „ lis aliquid fecisset, aut facientibus acquievisset a com-

„ munione Sedis Apostolicæ alienus existeret „ , ut testati sunt *Italiæ Clerici in Epistola ad Legatos Francorum proficiscentes Constantinopolim (apud Labb. Tom.5. Concil.pag.408.)*. Agebatur autem tunc (priusquam a Concilio Oecumenico V. negotium definiretur) , utrum condemnatio Trium Capitulorum præjudicata fuisset in præcedenti Synodo Chalcedonensi ; ac per consequens , an condemnatio eidem Synodo irrogare posset injuriam ; quod nil aliud erat , nisi res meri facti , cum revera Chalcedone de Tribus Capitulis actum fuerit dumtaxat „ post terminum Synodi „ ut ait „ S. Gregorius M. lib. 3. Epist.10. „ Non autem de doctrina pronunciabat Vigilius ; Unde prudenti œconomia usus fuit , aliquoties Tria Capitula approbando , reprobando autem aliquando .

(*Nec S. Gregorius Magnus*) *S. Gregorius M. Epist. ad August. Cantuarien. Archiepiscopum ; nec non Gregorius III. Epist. ad Episcopum Bonifacium* pronunciarunt , posse virum discedere ab Uxore , quæ per infirmitatem debitum reddere non valet ; quod intelligendum est de infirmitate , seu impotentia absoluta , perpetua , insanabili , quæ præcesserit Matrimonium , prævio judicio Ecclesiæ ; non autem de morbo post Matrimonii legitimum Contractum superveniente . Dilucide id explicat *idem S. Gregorius PP. Epist. ad Ravennatem Archiep.* , *relat. caus.33. qu. 1. Can. Requisisti* . Hoc erroneum haud est ; imo est legibus Ecclesiasticis convenientissimum :

(*Non Honorius*) . Quod contra *Honorium Pontificem* dicitur , si veritatem sincero animo quæramus , nec præoccupari velimus ab aliquo contra Ecclesiam Catholicam odio, non valet equidem ad statuendum , Romanum Pontificem a fide defecisse dum Ecclesiam universam doceret . *Apologetica Epistola pro Honorio ad Constantinum III. Imperatorem Joannes IV.* , qui duobus annis paulo plus ab Honorio Pontificatum tenuit , explicavit , quo sensu (certe ab errore Monothelitarum alieno) *Honorius in litteris ad Sergium* fuerit locutus . Hæc Epistola Joannis IV. est inter Collectanea Anastasii Bibliotecharii , & in Editionibus Conciliorum : Sed & *S. Maximus M. Dialogo cum Pyrrho* , eodem quo Joannes IV. modo Honorium ab hæreti vindicavit : Ob

negligentiam enim in Monothelitis coercendis, & ob intempestivam œconomiam, qua duarum in Christo voluntatum, & operationum confessionem silentio sepultam optabat (qui error conversationis est, non doctrinæ) Honorium damnavit S. Leo II. in *Epistola ad Constantinum Pogonatum pro confirmatione Synodi Oecumenicæ VI.* (*apud Labb. Tom. 6. Concilior. p.* 1116.) illis verbis, e quibus sensus ejusdem universalis Concilii apprime eruitur „ Anathematizamus novi erroris inventores, idest Theodorum „ . . . . . nec non & *Honorium*, qui hanc Apostolicam „ Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina lustravit, „ sed prophana proditione immaculatam *maculari permisit* „. Non inter hæreticos recenset S. Leo Prædecessorem Honorium, verum anathematizat, quoniam „ *immaculatam Ecclesiam maculari permiserat* „: Et clarius idem *S. Leo II. in Epist. ad Episcopos Hispaniæ* (*apud eumdem Labb. l. c. pag.* 1247.) „ Qui vero (ait) adversus Apostolicæ doctrinæ puritatem perduelles extiterant . . . . idest Theodorus . . . . cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis *non ut decuit Apostolicam Auctoritatem incipientem* „ *extinxit*, *sed negligendo confovit* „ Animadvertendum deinde est, quod Romani Pontifices interdum ut *Doctores Ecclesiæ Sanctæ* loquuntur, interdum autem *ut privati homines*. Equidem inerrantiæ privilegium (ut tot SS. Patrum, & Conciliorum auctoritate ostendimus) Sancti Petri Successoribus in Romana Sede concedere dignatus est D. N. J. Christus tunc, cum fidem doceant Christianos omnes, non autem quando ut privatæ personæ loquuntur. Ast privatas litteras Honorium ad Sergium dedisse probant verba alterius ex illis litteris, quæ sic se habent: „ Non oportet ad dogmata hæc Ecclesiastica retorquere, quæ neque Synodales apices super hoc examinantes, neque auctoritates „ Canonicæ visæ sunt explanasse, ut unam, vel duas energias aliquis præsumat Christi Dei prædicare: quas neque „ Evangelicæ, neque Apostolicæ litteræ, neque Synodalis „ examinatio super his habita visæ sunt terminasse „. Non itaque finale judicium, ac Doctoris universalis Magisterium proferre se voluisse Honorius his verbis satis declarabat, cum ad Synodalem examinationem negocium totum aman-

daret. Quod si ita non esset, quomodo *S. Agatho*, *qui nonus ab Honorio Pontificatum* habuit, *in Epistola supra relata* (Num. XXIX.) *ad Augustum* asserere absolute potuisset, quod Romana Ecclesia in regula rectæ fidei illibata permanserat secundum Christi Domini divinam pollicitationem, quodque Prædecessores sui confidenter semper confirmaverint fratres, ut cunctis erat cognitum? Ac quomodo *eadem Synodus VI.*, *cui litteræ Honorii erant præ manibus*, *quæque Honorium ipsum damnavit*, tanto plausu, ac gravi ratione Epistolam S. Agathonis probare potuisset? Dicendum itaque est, quod S. Agatho, & Oecumenica Synodus cognoverint, litteras Honorii non ex officio, & dignitate Doctoris, & Magistri universalis fuisse scriptas, sed privatim, ut solent Doctores illi, qui nulla publica auctoritate funguntur.

(*Neque pariter Liberius*). Hæc eadem responsio *pro Summo Pontifice Liberio* valere apprime poterit, si eum subscripsisse Formulam hæresis vitio infectam demonstrare alicui datum esset. Nam qui hunc Pontificem accusant, probare evidenter nusquam poterunt (quod tamen accusator tenetur si reum aliquem conclamet), quod Ille secundæ subscripserit Sirmiensi Formulæ, quæ penitus Ariana erat. In prima autem Formula (cui ipsum subscripsisse validissimis argumentis confirmatur), quamvis vox *Omousion* desideraretur, nihilominus ea habita non fuit quasi Arianæ hæreseos professio; atque ideo post illam subscriptionem Liberium ab exilio Constantius Imperator non revocavit. Injustum vero est, & a ratione alienissimum, quemadmodum supra etiam tetigimus, ab incertis certam deducere velle propositionem, præsertim cum alterius famæ detrahitur; quoniam Actore non probante reum absolvi debere regula est non solum humani, sed & naturalis juris, atque Divini. Sed si momento temporis concedamus, Liberium subscriptione sua Formulam Arianam probasse, certe actus iste personæ privatæ fuisset, non dignitatis; & homo tædio, ac laboribus exilii devictus, nec non circumventus dolis, ipse peccasset, at Christianos illa subscriptione hæresim non docuisset, ut patet; ac de errore conversationis, non doctrinæ esset redarguendus, quemadmodum erravit Petrus, quan-

do Dominum Servatorem negavit. Ast in propriam Sedem restitutus Liberius pristinam quoque constantiam recepit; Fidem enim Nicænam professus est, redintegratamque cum S. Athanasio communionem, & pacem constanter servavit. Imo hæreticam Formulam in Concilio Ariminensi, Arianorum prævalente factione, restitutam, & a Catholicis Episcopis, qua dolis, qua vi compulsis, subsriptam, confixit anathemate. Sane ictu oculi iterum revocanda sunt ea, quæ diximus, scilicet, post tempora Liberii, *in Formula S. Hormisdæ*, cui acclamarunt totius Ecclesiæ Episcopi, & *in Epistola S. Agathonis*, quam præcipuis laudibus ornarunt Patres Concilii Generalis VI. firmissime asseri, in Romana Ecclesia semper immaculatam religionem permansisse.

(*Nec S. Nicolaus I.*) *S. Nicolaus I. ad Consulta Bulgarorum cap.* 104. Pontificio, ac doctrinali responso haudquaquam declaravit, valere Baptismum a Ministro in Nomine solius Christi collatum; sed respondit *de fide suscipientium*, quod si interrogati credere se in SSmam Trinitatem confiteantur, vel tantum in Christum, sicut *de Eunucho Candacis Reginæ in Actis Apostolorum* legimus, *ac verbis Evangelicis* (quod idem est *ac in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*) consecrati, scilicet baptizati, fuerint constat, eos non esse denuo baptizandos. Uno verbo, definit, quod sive Christianus, sive Judæus, sive Paganus sit Minister Baptismi, dummodo more, ac ritu christiano, nempe, ut Theologi loquuntur, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, servatisque debita materia, & forma; sufficienti autem cognitione habita de legitima intentione eorum, qui hoc suscipiunt Sacramentum, non debent, qui tincti sunt, iterum baptizari. Verba Pontificii responsi integra oratione recitentur: „ A quodam Judæo, nescitis, utrum Christia- „ no, an Pagano, multos in Patria vestra baptizatos asse- „ ritis; & quid de his sit agendum consulitis. Hi profecto, „ si in Nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantum in Nomine „ Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati „ sunt (unum quippe, idemque est, ut S. exponit Ambro- „ sius) constat eos, non esse denuo baptizandos. Sed pri- „ mum, utrum Christianus, an Paganus ipse Judæus (Judæus inquit, hoc est mercator circumforaneus; non enim religio-

nis istud hoc loco nomen est, sed negociationis) „ extiterit „ investigandum: Quamvis non prætereundum esse credamus, quid beatus de Baptismo dicat Augustinus „: Jam „ satis, inquit, ostendimus, ad Baptismum, qui *verbis* „ *Evangelicis consecratur*, non pertinere cujusque vel dantis, „ vel accipientis errorem, sive de Patre, sive de Filio, si„ ve de Spiritu Sancto aliter sentiat, quam doctrina cæle„ stis insinuat„. Sane, quæstio S.Nicolao I. proposita de Ministro erat, minime autem de forma Baptismi, aut de recta fide suscipientis: Ad quæstionem rescribit, valere Baptismum collatum a Ministro alterius, quam Christianæ fidei, quod certissimum est, & S.Augustini auctoritate probat, *si tamen verbis Evangelicis* baptismus datus fuerit; de suscipiente vero, seu subjecto, ait Pontifex, quod si credat in augustissimam Trinitatem, vel tantum in Christum, hoc est, declaret se velle Baptismum Christianum suscipere, non autem Ethnicam lotionem, baptismus iterandus non sit. Quo loco, non de forma in Nomine Christi tantum intelligendum esse responsum, sed de intentione suscipientis ex eo patet, quod cum S.Augustino paullo post addit (mentem suam explicando) se agere de baptismo *verbis Evangelicis consecrato*. Significat igitur Nicolaus Pontifex, nonnisi verbis Evangelicis (hoc est *in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*) consecratum baptisma probari sibi, æque atque Augustino. Et vero, nuperrime Bulgarorum natio, abjectis inanium Numinum simulacris ad Christiana sacra transierat, eratque adhuc plena Paganorum; neque erat satis exploratum, falsis, ne diis etiamnum addictus esset is, qui baptizaret, atque adeo non prophani, ut olim, sed sacri baptismatis sufficienter peritus administer. Sciebat hoc Pontifex doctissimus æque, ac in fide sanus; quapropter respondendo; tum de subjecto, seu suscipiente, tum de Ministro sollicitus fuit. De suscipiente voluit, quod sciret, ac vellet recipere non Ethnicum, sed Christianum Baptisma, quod in Ecclesia confertur, eaque de causa voluit, quod profiteretur, se credere in Trinitatem SSmam, vel saltem in Christum; de Ministro autem, quod *verbis Evangelicis* (adhibitis debitis intentione, materia, & forma, de quibus nec movebatur quæstio) Sacramentum conferret.

Igitur baptismus, qui ex paganorum superstitione agatur, Nicolao Papæ non placet; sed placet unus, qui post confessionem sacrosanctæ Trinitatis, vel Christi tantum ab eo, qui baptizatur editam, a Ministro deinde verbis Evangelicis, hoc est sub Trinitatis SSmæ invocatione, sit conlatus.

(*Neque itidem Alexander III.*) *Alexandri III. Decretalis Cap.* „ *Cum esses* „ *de Testam.* statuit, Testamenta, quæ sine quinque, aut septem testibus fiant, valere debere, si coram Presbytero, & duobus, vel tribus personis idoneis perficiantur; quia a Divina lege, & Sanctorum Patrum institutis, & a generali Ecclesiæ consuetudine alienam esse noverat contrariam invectam consuetudinem. Decretalis ad disciplinam spectat, non ad fidem; id statuit Pontifex in terris Romanæ Ecclesiæ subjectis, cum Episcopo Hostiensi eam dederit. De rationibus porro, quas Alexander affert, cum illæ Statutum non sint, sed Statuto ipsi adjunctæ, sicuti præfati jam sumus, valde sollicitos nos esse non oportet; quamvis, non dixit Pontifex, consuetudinem requirentem quinque, aut septem testes ad valorem Testamenti, *contrariam esse Divinæ legi &c.*, bene vero scripsit, *ab eadem alienam esse*. Hoc verissimum est, quoniam lex Divina vetus (quam ideo *Divinam* nuncupavit, quia a Deo data fuit, non autem quia in lege Evangelica vim habeat obligandi) duos solum, tresve ut plurimum testes exigebat: Neque declaravit, legem Divinam nunc obligare; nec iniquas ob id esse Principum leges, quæ ad obviandum fraudibus jubeant, quinque, vel septem testes ad valorem postremarum voluntatum præsentes esse debere.

(*Pariter nec Innocentius III.*). Equidem *Innocentius III. Cap.* „ *Quanto* „ *de Divortiis Ferrarien. Episcopo* rescribendo, quod vinculum Matrimonii non dissolvitur, altero Conjugum fidelium in hæresim lapso, ait „ licet quidam Prædecessor noster sensisse aliter videatur „. Verum vigilanti verbo doctissimus Innocentius usus est, scilicet „ sensisse „ aliter *videatur* „. Nonnullis enim variarum regionum id visum fuit aliquando; sed probari usquam non poterit, aliquem Romanum Pontificem vere sensisse; ac multo minus probari poterit unum, aut alterum ex iis definiisse, solvi conjugale vinculum per lapsum in hæresim unius ex Ca-

tholicis Conjugibus; quod certissimis probationibus demonstrare debet, qui de errore in fide Romanos Pontifices accusat.

(*Nusquam Romani Pontifices tradiderunt Matrimonium ratum dissolvi per aliud Matrimonium de facto consummatum*). Laudatus *Alexander III. ad Consultationem Archiepiscopi Salernitani* rescripsit (*Capit.3. Tit. de Sponsa duorum*), Matrimonium rite, ac legitime contractum, etsi ratum tantummodo sit, indissolubile esse „ quamvis (addit) aliter a quibusdam Prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum „. Hinc occasionem sumunt nonnulli redarguendi aliquot Romanos Pontifices de errore, ac si docuerint, Matrimonium ratum posse dissolvi. Longe vero aliter se res habet. In ea Decretali non inquit Pontifex, aliter fuisse a quibusdam Prædecessoribus suis *traditum*, *declaratum*, *assertum*, *diffinitum*; dixit autem „ *judicatum* „. De causis igitur loquutus est in Foro Ecclesiastico actis. Sane omnibus notissimum, quod in Ecclesiasticis judiciis de singularibus agitur controversiis, ac personis; quod humanæ, ac personales probationes, testes, ac testificationes afferuntur; quod circumstantiæ considerantur casuum; quodque examen, ac discussio fit de valore consensus, de ipso contractu, de impedimentis Matrimonii, deque aliis ad judicium opportunis. Potuerunt igitur, & pluries, Romani Pontifices, qua Iudices Causarum Matrimonialium, attentis probationibus coram se allatis, in pluribus specialibus casibus judicare, Matrimonium rite, ac legitime non fuisse contractum, proinde non fuisse verum Matriomonium, non ex eo quod ratum tantum, sed ex eo, quod aliquid desideraretur, ad validitatem de necessitate requisitum.

(*Nullo modo Nicolaus III. errorem in fide docuit*). *Nicolai III.* doctrina reprehenditur contenta *in Extravaganti „ Exiit qui seminat „ de Verbor. significat*. Ast Pontifex iste non docuit errorem a Joann. XXII. damnatum, quod scilicet Redemptor noster, ac D. J. C., ejusque Apostoli in speciali non habuerint aliqua, nec in communi; quoniam Nicolaus ea in Constitutione asserit, Christum Dominum loculos habuisse. Quapropter (ut alias taceamus interpretationes Extravag. „ Exiit „ a pluribus Doctoribus tum anti-

quis, tum recentioribus datas, quæ eam ab errore vindicant) *Joannes idem XXII. Extravag.* „ *Quia quorumdam* „ *de Verbor. significat.* Prædecessoris sui *Nicolai III.* mentem, ac verba explicat, atque declarat ita, ut nullum contra fidem errorem contineant, nec de errore ab ipso Joanne reprobato possint redargui. Dum enim Nicolaus affirmavit, Christum Dominum loculos habuisse, utique id asserere voluit, quod earum rerum, quæ in loculis continebantur, tam Ipse, quam Apostoli ejus non solum, ac merum facti usum haberent sine dominio, sed usum facti, & juris, idest verum dominium; hic enim scopus erat Pontificis Nicolai ea *in Extravaganti* pro Fratribus Mendicantibus edita. Sed *Jacobus Novellus Cardinalis Joanni XXII. coævus* (qui eruditum de hac materia edidit Commentarium ad solvenda objecta Fraticellorum, seu schismaticorum Pseudo-Minoritarum contra Joannis XXII. Constitutionem, quæ incip. „ *Cum inter nonnullos* „) asserit, Nicolaum III. in Decretali, de qua agimus, simpliciter, ac determinate non fuisse locutum, sed dixisse „ quod si aliquod dubium in sua declaratione insurgeret, non per quoscumque, sed per Romanum Pontificem declarari haberet „; ac per consequens illius Pontificis mens, & propositum tunc erat non docere fideles, sed incidenter, indeterminate, & dubitanter disserere.

(*Nec Joannes XXII.*) *Anno a reparata salute* 1333. in dubium revocari cæptum est; an Sanctorum animæ ad supremi diem usque Judicii visione Dei beatifica fruantur? Negativa assertio certe contraria est sacræ Scripturæ, ac traditioni, ideoque hæresis est, quam deinde Catholica Ecclesia damnavit. *Joan. XXII. in suis ad Cardinales Collationibus,* sacræ Scripturæ oracula, ac Patrum dicta in utramque partem protulit, jussitque, Cardinales, Præsules, aliosque Doctores diligentissime rem excutere. *Libellum etiam ad Petrum Rogeris Archiepiscopum Rothomagen.* eo de argumento transmisit. *Hæc Odoricus Raynaldus, ex Joannis ipsius Regesto, ex Joanne Villani lib.*10. *cap.*230., *& Ptolemæo Lucensi Hist. Eccl. lib.*24. *cap.*42. (qui Auctores Joanni XXII. coævi fuerunt) commemorat. Patet ex hoc solum, si alia quæque deessent, quod Joannes XXII., quæ dixit, aut

scripsit, discutiendo, examinando, non asserendo, minus autem definiendo scripsit, aut dixit. Verumtamen disertissime *in litteris ad Philippum Valesium Regem Christianissimum datis* (*quas ex Vaticano Codice descripsit idem Odoricus Raynaldus ad annum* 1333. *num.*46.) declaravit Joannes PP., negocium tunc esse non de judicio Apostolico, sed de disputatione „ *ut sic plenius posset inveniri veritas* „; petiitque a Rege, ut daretur unicuique dicere, disputare, & prædicare quod sibi juxta doctrinam Evangelicam, & Apostolicam disputandum, & prædicandum videretur „ *donec aliud ordinatum per Sedem fuerit Apostolicam, vel etiam declaratum* „: Sed in *publico Consistorio diei* 3. *Janu.* 1334. (sicuti narrat *Benedictus XII.* ipsius Successor *in Diplomate, quod ex MS. Vaticano exscripsit Odoricus Raynaldus ad an.*1334. *num.*35.) contestatus est Joannes Pontifex sub hac forma:
„ Ne quis sinistre interpretati possit, Nos sensisse aliquid,
„ aut sentire, quod sac. Scripturæ obviet, aut fidei ortho-
„ doxæ . . . protestamur expresse, quod quicquid in . . .
„ materia visionis Animarum, videlicet, an Animæ a pec-
„ catis, & pœnis peccatorum purgatæ, videant divinam
„ Essentiam illa visione, quam Apostolus vocat *facialem*,
„ seu quacumque alia materia *in Sermonibus, & Collatio-*
„ *nibus nostris* (non equidem in Responsis, quibus univer-
„ sam Ecclesiam doceret) *diximus* . . . . non intendentes
„ aliquid determinare, vel decidere, seu credere, quod
„ esset quovis modo Scripturæ sacræ obvium &c. „. Neque umquam erroneam de visione beatifica doctrinam definivisse Joannem XXII. testatur idem *Benedictus XII. de propria*, ut ajunt, *scientia in Bulla* „ *Benedictus Deus* „ *Tom.I. Bullarii Romani*; additque concinentem illi, quam in Consistorio edidit, declarationem convocatis Cardinalibus factam fuisse ab ipso Joanne XXII. priusquam ex hac vita migraret. Ex opposito autem *Joannes* idem *XXII. in Bullis Canonizationum SS. Thomæ Aquinatis, Ludovici Tholosani Episcopi, & Thomæ Episcopi Herfordiensis*, quas universæ Ecclesiæ proposuit ut Doctor Christianorum, expressis verbis asseruit, eorum SS. Animas „ in Patriam receptas esse in perpetuas
„ æternitates; Cælum possidere; in cælestibus agminibus
„ positas Deum glorificare in medio domus suæ ad Deum

„ contemplandum in gaudio facie revelata; in innocentia „ ingressas esse, & cælestis Imperii ineffabili *throno gaude-* „ *re*„. Ita porro loquutus fuisset Pontifex si beatitudinem Sanctorum ad extremum usque Judicii diem differri declarare voluisset?

Hæc de Romanorum Pontificum veracitate, ac immaculata religione dum loquuntur qua Ecclesiæ Doctores, & Magistri dixisse sit satis. Sufficiunt enim ad repellendas, avertendasque injurias, quas in Romanorum Pontificum orthodoxiam dum Ecclesiam ipsi docent, jecere nonnulli, eamque invidiam, quam eis facere sategerunt; sufficiunt nempe, quoniam patula sunt responsa ad alia, quæ fortasse proferri possent, ejusdem furfuris objecta. Si quis autem uni, vel alteri ex censu cæterorum summorum Antistitum velit acerbitate animi in Ecclesiam Catholicam succensere, sciat, Theologos nostros plura de hac re scripsisse docte, & luculenter, ex quibus quicquid necessarium est ad veritatem asserendam petere poterunt: Ast sciant etiam, quod si qui fuerint adhuc Adversarii nostri, iis cum Apostolo Paulo (Act.23. 13.) respondebimus, quod „ neque probare pos- „ sunt de quibus . . . . accusant „; ideoq. sese proderent, manifeste declarando, non amore veritatis se loqui, sed summa obstinatione in sacris fidei dogmatibus exagitandis. Notum quippe est id, quod semel jam diximus superius, simulque rationi, ac juri naturali est omnino conforme, quod qui Accusatoris in aliquem induit personam debet liquido probare ea, quæ objicit, alias audiendus non est, & a judicio repellitur. Quod certe rei, de qua agitur, apprime quadrat; nam omnes, & quoscumque Romanos Pontifices de errore in fide accusatos etiam qua Ecclesiæ Doctores robuste vindicavere nostrates, proindeque adversarii probare nusquam poterunt ea, de quibus illos accusant, eo argumentorum genere, quod ipsis victoriam conciliet. Nunc ad probationes dogmatis Primatus eorumdem summorum Antistitum cum jurisdictione in universum Orbem.

Probatur SS. Patrum auctoritate , & traditione Primatus jurisdictionis Romani Pontificis in universum Orbem.

XLII. (*Successio Romani Pontificis in Primatum S. Petri probatur auctoritatibus Patrum Ecclesiæ*). Traditio in SS.Patrum , & Conciliorum Generalium auctoritatibus maxime continetur. Principio igitur de SS. Patribus; tum deinde de Oecumenicis Conciliis.

1. (*Tertulliani , sæc.* 2.) *Tertullianus* (*sæculo II.*) *de Pudicitia cap.* 1. „ Audio Edictum esse propositum , & quidem peremptorium : Pontifex scilicet Maximus , Episcopus Episcoporum dicit &c. „ Notum est, hæc Tertullianum scripsisse de S. Zephyrino Papa. Vocat autem Romanum Pontificem, *Pontificem Maximum , Episcopum Episcoporum* ; & *cap.*21. anthonomastice *Apostolicum* nominat. Hanc autem dignitatem habere ille non posset, nisi cum jurisdictione, & auctoritate supra omnes Episcopos, quemadmodum inferiores Episcopi tales non essent, si supra plebes sibi commissas jurisdictionem non haberent. Unde quemadmodum Episcopi sunt Episcopi, quia gregibus Christi cum auctoritate præsunt, ita Romanus Pontifex *Episcoporum est Episcopus*, quia suprema in eos pollet auctoritate. Notari debet, quod Tertullianus postquam in Montanistarum hæresim impegerat hæc scripsit, & dum in S. Zephyrinum ejus dicacitas acrior erat, atque injurias irritatus evomebat; absolute autem loquebatur, sicuti de re omnibus nota, & certa apud omnes, *Sæculo Ecclesiæ II.*, scilicet propius temporibus Apostolorum, & Apostolicorum Virorum, unde persuasio de Suprema Romani Pontificis dignitate jam ubique, & penes quascumque Ecclesias, & fideles communissima erat, quod fieri nequivisset, nisi ab Apostolis, eorumque discipulis traxisset originem.

2. (*S. Irenæi Græci , sæc.* 2.) Hæ porro eædem animadversiones apprime conveniunt iis, quae tradidit *eadem ætate S. Irenæus* (*Græcus sæculo II.*), qui B.Polycarpi S.Joannis Apostoli, & Evangelistae discipuli auditor fuit, atque Apostolicas traditiones prope fontes haustas in Oriente, deinde in Occidente ad sanitatem gentium effudit. Verba ejus

superius recitavimus *ex lib. 3. advers. haeres. cap. 3.*, ubi *Maximam* vocat Romanam Ecclesiam, ad quam *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles*. Sane dici nequiret *Maxima Romana Ecclesia* itaut caeterae Ecclesiae omnes ad eam convenire debeant, nisi illa cum auctoritate congregandi aliis praemineat, istae ex debito obediendi subsint. Sed & *S. Irenaeus* facto, & exemplo declaravit, supremo jure frui Pontifices Summos in universum Christianorum Orbem, Occidentem non solum intelligo, sed etiam Orientem. Cum enim ardor Episcoporum Asiae effervesceret in controversia de celebratione Paschae, renuentibus illis SS. Romanorum Pontificum *Aniceti, Pii, Higynii, Telesphori, Xysti* sententiae, ac praecepto parere cum Pascha celebrandum edixissent, non ipsa die Lunae decimaquartae, sicuti Asiani contendebant, sed Dominica post decimamquartam occurrente, pertaesus longae inobedientiae *S. Victor PP.* cogitavit gladium auctoritatis exerere, atque Asianos Episcopos, lata excommunicatione, a communione Catholicae Ecclesiae separare. Intercessit S. Irenaeus per Epistolas pacis conciliatrices ad eumdem S. Victorem missas, ut eum a consilio revocaret, ne scilicet tam multas Ecclesias a mystico Jesu Christi Corpore penitus amputaret. Testis est *Eusebius Graecus lib. 5. cap. 24.*: „ Irenæus, quamquam per „ litteras scriptas ex persona Fratrum in Gallia, quibus „ præerat, tradit, Mysterium Resurrectionis Domini solo „ die Dominico recolendum quidem esse: Victorem tamen „ de hoc monet, videlicet ne tam multas Ecclesias omnino, „ propter traditionis ex antiqua consuetudine inter illas „ usurpatae observationem, à Corpore universæ Christi Ecclesiae penitus amputet „. Testis *Nicephorus Graecus & ipse, lib. 4. Hist. Eccles. lib. 4. cap. 38.* „ Victor vero extemplo Asiae, eique finitimas Ecclesias, veluti alienum, „ atque diversum dogma propugnantes rejicere, & ab unitate Catholica arcere in animo habebat . . . . Et verum „ id aliis, qui cum eo erant, Episcopis minus placuit. „ Itaque illum sunt adhortati ut benignius . . . . . de iis „ statueret . . . . . inter quos *& Irenaeus* erat, ut quidem „ ex scripto, quod Gallicarum Ecclesiarum, quas regebat,

„ nomine ad Victorem dedit, apparet. Adstruit quippe & „ ipse, debere quidem omnino Dominica die Pascha peragi: Nequaquam tamen Victori permittit, ut tantam Ecclesiarum multitudinem ab Ecclesiastica Unitate segreget„. Testis denique *& Photius* (qui primus separationis, et schismatis a Romanis Pontificibus vexillum explicavit) *in Bibliot.*, *Cod.* 120., ubi scripta S. Irenaei recensens ait „ Victor ea tempestate Romae Pontificium tenuit „ (*Pontificium Romanum* vocat ac si in seipso omnes alios Pontifices contineat per supremam potestatem, ac velut omnium sit fons,& origo)„ quem crebris litteris hortatus est Irenæus, ne „ ob Paschatis dissensionem ab Ecclesia aliquos abdicaret „ Igitur, ut rem certissimam habuit S. Irenæus, potestatem Romani Pontificis supra Ecclesias omnes, ne Oriente excepto, esse diffusam; alias namque, aut minas Victoris non attendisset, utpote ineptas ex jurisdictionis defectu, aut Victori scripsisset, illicitum, nedum inane, ei esse in aliorum Episcoporum dignitatem præsumere. Persuasissimum pariter id erat Episcopis Galliæ, quorum nomine scribebat Irenæus; & (quod plurimum pro Græcis valet) Eusebio, & Socrati, imo & Photio, dum adhuc Ecclesiæ Catholicæ vestem dilaniandi consilium plane pravum non cæperat. Quis itaque erit, qui negaverit, universæ Ecclesiæ sensum Sæculo II. fuisse, utique ab Apostolis accepta doctrina, Romanum Pontificem cum Suprema Auctoritate omnibus, quæ in mundo sunt, Ecclesiis præsidere?

3. (*S. Cypriani, sæc.* 3.) *S. Cyprianus* (*sæcul.* III.) *Epist.* 57. *ad Cornel.* de Felicissimo, & Fortunato schismaticis „ Post ista . . . . navigare audent, & ad Petri Cathe„ dram, atque ad Ecclesiam principalem „ (absolute dicit *principalem*, adeoque omnium aliarum Ecclesiarum habito respectu) „ unde unitas Sacerdotalis orta est . . . . litteras „ ferre „ & *Epist.* 52., ubi de Cornelii Romani Pontificis electione ita scribit. „ Factus est autem Cornelius Episco„ pus . . . . cum Fabiani „ locus, idest cum *locus Petri*, & gradus Cathedræ Sacer„ dotalis vacaret „ Idem est Cypriano *locus Fabiani*, seu Romana Sedes ac *locus Petri*; sciebat enim, atque in schola Catholicæ Ecclesiæ didicerat, promissiones Christi B. Petro

Apostolo factas, non esse cum istius glorioso Martyrio transituras, sed in Successoribus suis in Romana Cathedra usque ad finem sæculorum permansuras, quare *locum Petri*, quod idem est ac permanens Petri Sedes, eam vocat Cathedram, adeout qui ad illam essent ascensuri, non ad alium, quam ad locum Petri ascenderent; & loco Petri in universam Ecclesiam essent habituri protestatem.

4. (*S. Gregorii Nazianzeni sæc.* 4.) *S. Gregorius Nazianzenus* (*Græcus sæc. IV.*) *Carm. de vita sua pag.*8. „ (edit. Venet. 1753.) „ Natura binos haud quidem Soles dedit :

„ Dedit ipsa binas attamen (Mundi faces)

„ Romas, vetustam scilicet Romam, ac novam.

„ . . . .

„ Fides vetustæ recta erat jam antiquitus,

„ Et recta perstat nunc item nexu pio

„ Quodcumque labens sol videt devinciens,

„ Ut universi præsidem Mundi decet,

„ Totam colit, quæ Numinis, concordiam. „

5. (*S. Joannis Chrysostomi, sæc.* 4.) *S. Joannes Chrysostomus* (*Græcus sæc. IV.*) *lib.* 2. *de Sacerdotio cap.* 1. „ Quanam de causa (Christus) sanguinem effudit suum? Certe, ut Oves eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri Successoribus committebat „.

6. (*S. Athanasii, sæc.* 4.) *S. Athanasius* (*sæculo IV.*) *Epist. ad S. Felicem II. PP.*, relatis, quæ decreta sunt de Appellatione ad Romanum Pontificem, ait „ Nam iste Thronus a Deo firmatus soliditatem accepit immobilem „.

7. (*S. Optati Milevitani, sæc.* 4.) *S. Optatus Milevitanus* (*sæculo IV.*), scripta defensione Ecclesiæ, & Ceciliani luculentissima adversus schisma Donati hæc ait *lib.* 2. *con. Parmen.* „ Negare non potes scire te in Urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam; in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus; in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur; ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderet „.

7. (*S. Julii I. PP., sæc.* 4.) *S. Julii I. PP.* (*sæc. IV.*) prolixum, grave, solidumque est, & ad rem nostram, Responsum iis, qui Antiochia ei scripserunt. Dedit enim Epistolam, quam refert etiam *S. Athanasius in Apologia II.*,

& in qua Romani Pontificis suprema, adhuc & in Orientales, auctoritas miro modo resplendet. Ne autem in longum nimis nostra oratio procedat, eo mittimus, qui illustre hoc vetustatis monumentum in suo fonte velit attingere.

9. (*S. Augustini*, *sæc.* 5.) *S. Augustinus* (*sæc. V.*) cujus veneranda doctrina contra errorem, in Generali Conc. Chalcedonen., una cum SS. Patrum *Gregorii Nazianz.*, *Joannis Chrysostomi*, *&* *Cyrilli* scriptis, probata, & acclamata est, quorum omnium testimonia in Acta fuere relata, de Cæciliano Carthaginiensi Episcopo diu Episcoporum schismaticorum tempestate jactato *Epist.* 162. „ Posset non curare „ (ajebat) conspirantem multitudinem inimicorum cum se „ videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ „ Cathedræ viguit Principatus, & ceteris terris, unde „ Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum „.

10. (*S. Hieronymi*, *sæc.* 5.) *S. Hieronymus* (*sæc. V.*) diu fluctuatus, cuinam ex iis tribus, qui se Antiochenæ Ecclesiæ Pastores asserebant, se adjungere deberet, ad S. Damasum PP. scripsit (*Epist.* 57. *Baron. ad ann.* 374. *n.* 48.) „ Facessat invidia Romani Culminis, recedat ambitio; cum Successore Piscatoris, & discipulo Crucis „ loquor; ego nullum primum, nisi Christum sequens: „ Beatitudini Tuæ, idest Cathedrae Petri communione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio „.

11. (*S. Leonis Magni*, *sæc.* 5.) *S. Leo M.* (*sæc. V.*) *serm.* 3. *de Natali ipsius num.* 3., *&* 4. (*edit. Baller.*) „ Manet ergo dispositio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans Ecclesiæ gubernacula non reliquit . . . . Si quid itaque a nobis recte geritur . . . . „ illius est operum, atque meritorum, cujus in Sede sua „ vivit potestas, & excellit auctoritas . . . . His itaque „ modis, dilectissimi, rationabili obsequio celebratur hodierna Festivitas, ut in persona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo & omnium Pastorum „ solicitudo cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat, & cujus dignitas etiam in indigno hærede non „ deficit „ Ipsemet *Quesnellus* in Romanos Pontifices minus æquus, ne dicam iniquus, dum attenuare conatur vim

Epistolæ S. Leonis 10. *ad Episcopos per Provinciam Viennen. constitutos*, nihilominus, veritate clarissimos radios magna vi undequaque fundente, cogitur dicere (Not. 3. inter Opp. S. Leon. Edit. Baller. To. 2. pag. 1318. colum. 2. in fin.): „ Nec tamen animus est quicquam hoc loco Pontificis Ro„ mani auctoritati detrahere, qui procul dubio principa„ lem Cathedram tenet, ac ratione Primatus Apostolici „ singulos Christiani Orbis Episcopos splendore, auctori„ tate, ac jurisdictione longe antecellit „.

12. (*S. Bonifacii I. PP.*, *sæc.* 5.) *S. Bonifacius I. PP.*, quem SS. Augustinus, & Prosper laudibus, ac veneratione sunt prosequuti (*sæc. V.*) „ Epist. 15. Rufo, & ceteris Epi„ scopis per Macedoniam, Achajam &c. (penes Coustant. „ num. 1.) „

13. (*S. Petri Chrysologi*, *sæc.* 5.) *S. Petrus Chrysologus* (*sæc. V.*) *Epist. ad Eutychetem*, „ Petrus, qui in propria „ Sede vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veri„ tatem „.

14. (*S. Zosimi PP.*, *sæc.* 5.) *S. Zosimus PP.* (*Græcus sæc. V.*) „ Epistol. 12. Aurelio, & ceteris, qui in Conc. „ Carthaginien. adfuerunt (penes Constant.) „.

15. (*S. Xysti III. PP.*, *sæc.* 5.) *S. Xystus III. PP.* (*sæc. V.*) *Epist.* (*relata a Labb. Tom.* 3. *pag.* 1694.) „ Roma„ na Ecclesia unum suffragium servavit in constitutione „ fidei præconis &c.; & in fine „ Neque enim permittit „ nos quietos esse ab ejusmodi curis pro omnibus Ecclesiis „ solicitudo „.

16. (*S. Felicis III. PP.*, *sæc.* 5.) *S. Felix III. PP.* (*sæc. V.*) „ Epistola Synodali Concilii Romani II. 77. Episcopo„ rum ad Clericos, & Monachos Orientales (Labb. Tom. 5. „ col. 247.) „ : Consuetudo retinetur, ut Successor Præsu„ lum Sedis Apostolicæ ex persona cunctorum totius Italiæ „ Sacerdotum, juxta solicitudinem sibi Ecclesiarum om„ nibus (*dic omnium*) competentem cuncta constituat, qui „ Caput est omnium; Domino ad B. Petrum Apostolum di„ cente „ Tu es Petrus &c. „ Quam vocem sequentes *tre„ centi decem, & octo SS. Patres apud Nicæam congregati*, „ confirmationem rerum, atque auctoritatem Sanctæ Roma„ næ Ecclesiæ detulerunt „ Et hanc confirmat sententiam

Felix Epist. 7. ad Episcopum Vetranionem (penes Sirmondum) testimoniis clarissimorum luminum, ut ait, Populi Christiani, Ecclesiarumque Doctorum „ quos merita virtutum „ suarum usque ad confessionis gloriosissimas palmas, & „ martyrii fulgentes extulere coronas &c. „ Adeundæ etiam ejusdem Pontificis „ Epist. 15. ad ipsum Episcopum Vetra- „ nionem, & Epist. 14. ad Archimandritam Talassium, „ (penes Labb.) „ quibus supremam auctoritatem in Orientem, scilicet in Ecclesias Constantinopolitanam, atque Alexandrinam, mirifice expressit, exeruitque.

17. (*S. Simplicii PP., sæc. 5.*) *S. Simplicius PP. (sæc. V.) Epist. 4. ad Zenonem Imperatorem (penes Labb.)*

18. (*S. Gelasii I. PP., sæc. 5.*) *S. Gelasius I. PP. (sæc. V.) in Conc. Romano I.*, in quo a 70. Episcopis Sacri, & authentici Divini Libri ab apocryphis discreti sunt (*penes Labb.*). Enumeratis igitur Sacris Voluminibus ait: „ Illud „ etiam intimandum putamus, quod quamvis universæ per „ Orbem Catholicæ Ecclesiae unus thalamus Christi sit, „ Sancta tamen Romana Catholica, & Apostolica Ecclesia „ nullis Synodicis Constitutis ceteris Ecclesiis prælata est; „ sed Evangelica voce Domini, & Salvatoris nostri Prima- „ tum obtinuit: *Tu es Petrus*, inquientis, *& super hanc Pe-* „ *tram &c.* „ Quibus relatis addit *Labbæus* (*Not. 2.*) „ Sunt „ hæc & in Epistola Nicolai PP. ad Michelem Imperatorem, „ & in Præfatione vetusta Concilii Nicæni, quam edidimus „ Tom. II., quam & Æneas Parisien. recitat Tom. 4. Spicil. „ &c. „ Ad hæc, *S. Gelasius idem in Tractatu (penes eumdem Labb. Tom. 5. edit. Venet. Coll.* 338.) ait „ Qua enim ratio- „ ne, vel consequentia aliis Sedibus deferendum est, si „ primae B̃mi Petri Sedi antiqua, & vetusta reverentia non „ defertur, per quam omnium Saeerdotum dignitas semper „ est roborata, atque firmata; *tercentorumque decem, & octo* „ *Patrum invicto, & singulari judicio vetustissimus judicatus* „ *est honor*? Utpote qui Domini recordabantur sententiam: „ *Tu es Petrus &c.* „

19. (*Eugenii Carthaginiensis, sæc. 5.*) *Eugenius Carthaginiensis Archiepiscopus (sæc. V.) teste Victore Vitensi lib. 2. de Persecut. Vandalica in Responso ad Hunnericum Regem Vandalorum*, de Ecclesia Romana dixit, quod *Caput est omnium Ecclesiarum* „.

20. (*S. Cyrilli Alexandrini*) *S. Cyrillus Alexandrinus* (*Græcus sæc. V.*) Homil. Encomiast. in S. Deip. To. 5. par. 2. pag.384. (edit. Joann.Aubert. Parisiis 1638.) B. Petrum appellat, Apostolorum Principem, & Caput; & ejus Successorem S. Caelestinum vocat „ Archiepiscopum totius „ Orbis, & Patriarcham Magnae Urbis Romae „.

21. (*Theodoriti Episcopi Cyri* , *sæc. 5.*) *Theodoritus Episcopus Cyri*, quod Syriæ in Provincia Euphratesia Oppidum est (*sæc. V.*) *Epistola ad S. Leonem PP.* (*inter Opp. S. Leonis edit. Ballerin. Epist.* 52.) tam illustria, tamque magnifica mille tercentis circiter annis ante nos de Romano Pontifice ab Oriente scripsit, ut si eadem dicere, ac scribere vellemus, illam certe a Græcis dissidentibus, & a Protestantibus expectaremus injuriam, qua de assentatione Summis Pontificibus pretio venditata carperemur. Sed liceat hoc loco paullulum a tramite deviare. Sacerdos sum, Christi Minister, & quamvis indignissimus, memor tamen vocationis meæ, qua a Deo per gratuitam gratiam suam electut sum, ut in Ecclesia Catholica natus, sacro baptismate lavarer; Sacramentis Divinis roborarer, & alerer; ac Sacerdotio fungerer: Sapientiam cælestem regnis, ac sedibus præposui, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius; quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Ac ne aliquis regerat mihi, verba hæc esse contraria factis; sciat, me in Urbe Roma natum, & altum, nunc in obscuro loco sub tegumento montium, circumdato rupibus, obscure, ac parce, & parco contentum censu vivere, a terra longe nativitatis meæ, quam iterum ut videam nulla spes affulget, nec ambitio titillat, itaut liceat & mihi usurpare verba S. Hieronymi *Epistola 58. ad Damasum*: „ Christi vestem in Romana Urbe suscipiens, nunc barba„ ro Syriæ limite teneor „. Ac tandem sciat, me gratis, & absque ulla mercede, vel præmio scribere, solo Religionis impulsu. Judicet itaque unusquisque rerum justus æstimator an credibile sit; dicam autem, an etiam possibile, ut ambitio, aut avaritia animum meum incessant, præsertim in admodum adulta ætate, laboribus fracta, atque infirmitatibus diu, longeque exercita, ob quas responsum mortis

habeo, quod solum mihi superest sepulchrum? Sed ut revertamur unde discessimus, *Theodoritus hæc ad S. Pontificem Leonem Magnum a Palæstina* scribit „ Si Paulus præco veri-
„ tatis, tuba Spiritus Sancti, ad magnum Petrum se contulit,
„ ut iis, qui Antiochiæ de legali conversatione ambigebant,
„ explicationem ab illo referret, multo magis nos humiles,
„ & pusilli ad Apostolicam Sedem vestram accurrimus, ut
„ Ecclesiarum ulceribus remedium a Vobis accipiamus.
„ Vobis enim primas in omnibus tenere convenit „ Multa deinde exponit insignia Romanæ Sedis; atque addit: „ Præ-
„ cipue autem illam fides ornat, cujus testis idoneus est di-
„ vinus Paulus clamans: *Fides vestra annunciatur in universo*
„ *Mundo*. Quod si statim post suscepta salutaris prædica-
„ tionis semina mirabiles hos fructus uberrime protulit,
„ prædicandæ quæ in ea nunc viget, pietati quænam par es-
„ se possit oratio? Habet præterea communium Patrum,
„ magistrorumque veritatis Petri, & Pauli Sepulchra, fide-
„ lium animas illuminantia . . . . . Hi Sedem vestram no-
„ bilissimam reddiderunt, hic bonorum vestrorum est apex.
„ At illorum Sedem „ (observa, quod ex Theodorito Sedes Romani Pontificis Sedes est Petri in Successoribus suis)
„ nunc etiam illorum Deus illustravit dum in ea Sanctita-
„ tem vestram rectæ fidei radios fundentem constituit . . .
„ Nos vero . . . . supplices oramus Sanctitatem Tuam, ut
„ tempestate jactatis Dei Ecclesiis „ (quæ certa Orientis erant) „ opem ferat . . . . At ego Apostolicæ vestræ Sedis
„ expecto Sententiam „ (quoad damnationem ab Alexandrino Antistite contra seipsum prolatam) „ & oro, atque
„ obtestor Sanctitatem vestram, ut mihi rectum, ac justum
„ tribunal vestrum invocanti opem ferat, jubeatque ad vos
„ venire „ (igitur auctoritate pollet Supremus Pontifex, qua jubeat Antistites ad Tribunal suum accedere) „ & doctri-
„ nam meam Apostolicis vestigiis inhærentem ostendere &c. Ad eumdem autem Theodoritum, post initam ab eo cum S. Cyrillo pacem cum per calumniam Nestorianæ hæreseos fuisset accusatus, dedit *SSmus Leo Epistolas* (*edit. Baller. Epist.* 110.), in quibus Summæ potestatis Apostolicæ jura refulgent. Enim vero declarat Leo, Sedis Apostolicæ judicio, ab omni hæreseos macula purum fuisse Theodoritum

declaratum; & ait „ Quod Deus omnium calumniosorum „ fallacias solvit, maximam Bmi Petri curam pro cunctis „ Nobis agnoscimus: qui postquam suæ Sedis„ (Sedes nempe Romani Pontificis Sedes Petri est ad sæculorum usque finem) „ judicium in fidei definitione firmavit &c. „ Hujus judicii testimonium extat *in Concilio Calchedonensi Act. I.*, ubi Judices dixerunt, *pag.*874. „ Ingrediatur & Rmus Episcopus Theodoritus, ut sit Princeps Synodi, quia & restituit ei Episcopatum SSmus Archiepiscopus Leo „: Et *Act. VIII. pag.*1523. iidem Iudices Concilii Sententiam pro Theodorito postularunt„ sicut & SSmus Leo Archiepiscopus „ judicavit „. Quibus concinens totum Concilium dixit: „ Post *Deum Leo judicavit &c.* „.

22. (*S. Prosperi, sæc.* 5.) *Sanctus Prosper Aquitanus* (*sæc.*V.) *Carm. de Ingrat. v.* 50. *& seqq.*

„ . . . . . pestem subeuntem prima recidit,
„ Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
„ Facta caput mundo quidquid non possidet armis
„ Religione tenet . . . „

23. (*S.Fulgentii Ruspensis, sæc. 6.*) *S. Fulgentius Ruspensis* (*sæc.* VI.) *lib. de Fide ad Petrum Diac.* cap.2., ubi exposita fide EcclesiarumAfricæ circa IncarnationemVerbi subjungit: „ Quod duorum magnorum luminarium, Petri „ scilicet, Paulique verbis, tamquam splendentibus radiis, „ illustrata, coramque decorata corporibus, Romana, quæ „ Mundi cacumen est, tenet, & docet Ecclesia „.

24. (*S.Ennodii Papiensis, sæc.6.*) *S. Ennodius Papiensis* (*sæc. VI.*) *in Lib. Apolog. pro Synodo Palmari*, quem Librum alia Synodus Romana ann. 504. auctoritate Synodali probavit (*apud Sirmondum Tom.I.*)„ Replicabo uni dictum: „ „ Tu es Petrus &c.„ Et rursus Sanctorum voce Pontificum, „ dignitatem Sedis ejus factam toto Orbe venerabilem, dum „ illi quicquid fidelium est, ubique submittitur, dum to„ tius corporis caput esse designatur „.

25. (*Pelagii I. PP., sæc.6.*) *Pelagius I. PP.* (*sæc.* VI.) *Epist.*12. *ad Sapaudum Arelaten.*

26. (*Pelagii II. PP. sæc.6.*) *Pelagius II. PP.* (*sæc.*VI.), qui immediate S.Gregorium Magnum in Petri Sede antecessit, *Epist. ad Eccl., & Episcopos Istriæ*.

27. *S. Gregorii M. PP., saec.6.*) *S. Gregorius M. PP.* (*saec.* VI.), de quo Paulus Diaconus (in ejus vit. lib.2. c.4. n.1.),, Parum fuit Gregorio seipsum, domumq. suam recte ,, regere, vel etiam Rom.Ecclesiæ singulariter spectatæ in- ,, vigilare, nisi simul Christi gregi, cui auctoritate præe- ,, rat, paterna charitate, ac solicitudine providisset ,,; & ipse S.Pontifex scribit Epist. lib.I. Epist.19. (edit. Maurin. To.2.): ,, Cunctarum Ecclesiarum conjuncta nobis solici- ,, tudinis cura constringit ,,.

28. (*S.Hormisdæ PP., saec.6.*) *S.Hormisdæ PP.* (*saec.*VI.) *Formulam* recitavimus (*in Prolegomenon N.XXIV.*). In ea vero ob Christi Domini promissa, quæ prætermitti non possunt, probat Pontifex Ecclesiæ suæ indefectibilem perpetuitatem. Atque: ,, Hanc Professionem (ait relatus Auctor ,, Defens. Par.3. lib.10. cap.7.) eodem initio, eadem con- ,, clusione, additis subinde hæresibus, atque hæreticis, qui ,, suis temporibus Ecclesiam conturbassent, per secuta sæ- ,, cula frequentatam scimus. Hanc uti S. Hormisdæ PP., ,, Sanctoque Agapeto, ac Nicolao I. omnes Episcopi fece- ,, rant; ita iisdem verbis Adriano II. PP. Nicolai successo- ,, ri factam in Concilio VIII. Œcumenico legimus. Hanc ,, ergo ubique diffusam, omnibus sæculis propagatam, ab ,, Œcumenico Concilio consecratam, quis respuat Christia- ,, nus ,,?

29. (*S.Maximi Ab. & M., saec.7.*) *S. Maximus Abbas, & Martyr* (*Graecus saec.*VII.) *Epist. ad Marinum Diaconum* (*apud Baronium an.*648.):,, Ab initio enim adventus Incar- ,, nati Verbi universæ ubique terrarum christianarum Eccle- ,, siæ a S.Romanorum Ecclesia originem habuerunt, funda- ,, mentum solidum, & maximum, contra quod portæ infe- ,, ri nullo pacto prævalebunt juxta ipsiusmet Salvatoris pro- ,, missionem, ut habeat claves scilicet orthodoxæ fidei, & ,, confessionis, & aperiat illis, qui ad hanc ipsam Roma- ,, nam Ecclesiam cum pietate accedunt ,,. Nota, quod promissione Christi Salvatoris sublimitas Romani Pontificis solidatur, quare usque in finem sæculorum non erit defectura.

(*S.Sophronii, saec.7.*) *S.Sophronii Hierasolymorum Episcopi* (*Graeci saec.* VII.) adeunda est *Epistola Synodica ad Ho-*

norium I. PP., in qua inter cetera scribit: „ Paternam Sanctitatem Vestram rogo, ut has meas litteras a me abjecto, „ jure Synodico acceptas paternis oculis aspiciat . . . . . . „ rogo accessionibus impleat, & verbis, ac correctionibus „ ex paterna plenitudine prodeuntibus corrigat, & robur „ præbeat amantissimum, fraterno studio satum, & paterno proposito irrigatum . . . . Quod quidem cum a Vobis . . . factum fuerit, me quidem locupletabit, & mihi medebitur; vestræ vero misericordiæ, & amori testimonium tribuet, idest vestræ erga Fratrem, & Filium „ charitati „. Relegenda, quæ de eo retulimus (*sup. in* „ *Prolegomenon Num. XXVI.*).

31. (*S.Isidori Hispalen., sæc.7.*) *S. Isidorus Hispalensis* (*sæc.* VII.) *Epist. ad Eugenium Toletan. Episc.*: „ Quod vero de parilitate agitur Apostolorum, Petrus præeminet cæteris, qui a Domino audire meruit „ Tu es Petrus, & „ super hanc petram &c.„ & non ab alio aliquo, sed ab ipso „ Dei, & Virginis Filio, honorem Pontificatus in Christi „ Ecclesia primus suscepit. Cui etiam post Resurrectionem „ Filii Dei ab eodem dictum est „. Pasce Agnos meos „. „ Agnorum nomine Ecclesiarum Prælatos notans: Cujus „ dignitas potestatis, etsi ad omnes Catholicorum Episcopos est transfusa, specialius tamen Romano Antistiti, „ singulari privilegio, veluti Capiti, ceteris membris celsior permanet in æternum. Qui igitur debitam ei non „ exhibet reverenter obedientiam, a Capite sejunctus Acephalorum schismati se reddit obnoxium „.

32. *Hadriani I. PP., sæc.8.*) *Hadrianus I. PP.* (*sæc.*VIII.) *Epist. ad Patriarcham Tharasium*, relato Evangelico Textu: „ *Tu es Petrus &c.* „ ait: „ Cujus (Petri) Sedes (idest Romana) in omnem Terrarum orbem Primatum tenens refulget, & Caput omnium Ecclesiarum Dei consistit. „ Unde idem B. Petrus Apostolus Domini præcepto pascens „ Ecclesiam, nihil dissolutum dimisit, sed tenuit semper, „ & retinet Principatum „. Scripsit itidem *Hadrianus* hic Pontifex *ad Imperatorem Constantinum, & ad Irenem litteras*, quæ habentur *Act. II. Synodi Generalis VII.*, in quibus hæc ait: „ Nam ipse Princeps Apostolorum B. Petrus, qui Apostolicæ Sedi primitus præsedit, Apostolatus

„ Principatum, ac principalis curæ Successoribus suis, qui „ in ejus sacratissima Sede perenniter sessuri sunt, dereli- „ quit: quibus & auctoritatis potestatem, quemadmodum „ a Salvatore Nostro Domino Deo ipsi concessa est, & ipse „ quoque suis contulit, ac tradidit Divino jussu Successo- „ ribus Pontificibus: quorum traditione Christi sacram ef- „ figiem, sanctæque ejus Genitricis; Apostolorumque, & „ omnium Sanctorum veneramur imagines „. *Actione* autem II. *illius Synodi lectæ sunt Epistolæ istæ tam ad Tharasium, quam ad Imperatores ab Hadriano datæ*. Quibus perlectis, & a Tharasio Patriarcha Constantinopolitano probatis, Legati Apostolici a Synodo quæsiere, an litteras Hadriani susciperet? Respondit Sancta Synodus; „ Sequimur, „ & suscipimus, & admittimus „. Deinde singuli Episcopi professi sunt, se recipere sacras Imagines „ secundum „ Synodicas Epistolas Bmi PP. senioris Romæ Hadriani „. De his Hadriani Epistolis scripsit Tharasius ad ipsum Pontificem post Synodum: „ Cum prolatæ primitus vestræ fra- „ ternæ Sanctitatis litteræ legerentur, præstolabantur om- „ nes, spiritualibus eduliis tamquam in regalibus cœnis „ fruentes, quæ Christus per litteras tuas epulantibus præ- „ parabat: & sicuti oculus totum corpus ad rectitudinis, & „ veritatis semitam ostendebas „.

33. (*Stephani V. PP., sæc.9.*) *Stephanus V. PP.* (*sæc.*IX.) *Epist. ad Basilium Imperatorem* (*in fin. Concilii Generalis VIII.*) „ Quemadmodum igitur vobis rerum temporalium Princi- „ patus a Deo est traditus, ita nobis per Coryphæum Apo- „ stolorum Petrum rerum spiritualium Principatus .... „ Audi Dominum dicentem: „ Tu es Petrus, & super hanc „ petram &c.

34. (*Joannis VIII PP., sæc.9.*) *Joannes VIII. PP.* (*sæc.*IX.) *Epist.309. ad Aldefonsum Regem* (*penes Labb.*).

35. (*S.Nicolai I. PP., sæc.9.*) *S.Nicolaus I. PP.* merito *Magnus* appellatus (*sæc.*IX.) *in fragmento Epistolæ ad Michaelem Imperatorem lecto in Concilio Generali VIII* (*Act. IV. juxta vers. Græco-Lat. penes Labb. Tom.10. col.806.*): „ Prin- „ cipatum Divinæ potestatis, quem Conditor omnium „ Deus electis Apostolis suis largitus est, Principi Aposto- „ lorum Petro præ ceteris tradidit cum dixit: „ Tu es Pe-

„ trus &c.; „ & rursum ad Petrum: „ & tu aliquando con-
„ versus confirma fratres tuos.„ Petrus igitur universam ad-
„ ministrare Ecclesiam perpetua successione jubetur. Sæ-
„ penumero enim Conventus a SS. Patribus celebratus est,
„ sed sine Romanæ Sedis, & hujus Pontificum auctoritate
„ confectum est nihil „. Qua parte Epistolæ in eodem Concilio VIII. recitata, necnon prolatis alterius Epistolæ ejusdem Pontificis ad Photium scriptæ sequentibus verbis:
„ Cum universa credentium multitudo ab S. Romana Eccle-
„ sia, quæ omnium Caput est Ecclesiarum, doctrinam
„ exquirat, integritatem fidei deposcat, delictorum veniam
„ postulet, necessarium est, ut magnam nos curam, qui
„ ad hoc vocati sumus, adhibeamus, & lupum (Photium)
„ Ecclesiam invadentem arceamus „. Tunc *Theodorus Cariæ*, qui olim a partibus Photii fuerat, & coram Concilii Patribus pro venia supplex orabat: „ Theodorus Cariæ dixit:
„ deceptus sum cum illum (Photium) ab Ecclesia Romana
„ arbitrarer esse receptum: sed Deo meritas persolvo gra-
„ tes cum isthoc ab errore me expedivit „. Viden. etiam *ipsius S. Nicolai Epistola ad Photium (inter ejus Epistolas ord. VI.)*, in qua de fide etiam & firmissima omnium Christianorum persuasione testis est fidelissimus.

36. (*S. Theodori Studitæ, sæc. 9.*) *S. Theodorus studita (Græcus sæc.* IX.) *Epist. ad Michaëlem Imperatorem (apud Jodocum Coccium)* „ Si vero aliquid dubitare, vel non crede-
„ re videtur vestra divina Munificentia, ejus rei explicatio
„ pie est postulanda. Magna, & a Deo firmata manus ve-
„ stra, ut publicæ cupida utilitatis jubeat a veteri Roma
„ capere declarationem, ut a principio a Patribus nostris
„ est traditum. Ea, o Christi imitator Imperator, inter
„ omnes Ecclesias Dei summum, & supremum obtinet lo-
„ cum, cujus Petrus tenuit primam Sedem: ad quem dicit
„ Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram &c. „:
Et Epist. ad Paschalem PP. „ Audi, Apostolicum Caput,
„ Pastor Ovium Christi a Deo electe, claviger Regni Cælo-
„ rum, Petra fidei super quam ædificata est Ecclesia Catho-
„ lica „. Quisnam negare jure poterit Patrum omnium consonantiam dum de hoc argumento loquuntur, nam unanimiter tradunt, supremam a Christo potestatem datam B. Petro fuisse, & in ipso Successoribus suis?

37. (*S.Eulogii Toletani M.*, *sæc.9.*) *S.Eulogius electus Archiepiscopus Toletanus*, *& Martyr.* (*sæc.IX.*) *in Memoriali Sanctor.* (*extant Opp. ejus Tom. IV. Hispaniæ Illustr.*, *& Tom.XV. Biblioth. PP. Lugdunen.*). „ Nam B. Petrus Prin-„ ceps Apostolorum, firmissimum Ecclesiæ Catholicæ fun-„ damentum, utpote cui ab ipso Redemptore dictum est: „ *Tu es Petrus*, *& super hanc petram &c.*„ Fundamentum hoc perpetuum debet esse, & immobile, quia fundamentum Ecclesiæ numquam defecturæ, quæ sine fundamento deficeret: Ideoque a Domino constitutus est in fundamentum ipse Petrus dum viveret, ac post relatos ab ipso de mundo, ac de morte triumphos, Successores ipsius, quibus doctrinam cum sanguine Petrus ipse reliquit.

Hinc patet, quam vere dixerimus (*in Proœmio n.12. & alibi*), quod ante Photium, & Photii tempore Ecclesia jugiter docuerit hoc dogma Primatus, cum Patres usque nunc relati vixerint ante Photium, & Photii ævo. Vide nunc, quam vere etiam a nobis additum fuerit (*ibidem a n.19.*), quod post Photium usque ad Cerularium, & ultra semper custodierit diligentissime Ecclesia hoc fidei Depositum; itaut ab Apostolorum ævo usque ad Nos pervenerit non interrupta traditio.

38. (*Leonis VII. PP.*, *sæc.10.*) *Leo VII. PP.* (*sæc. X.*) *Epist.3. ad Gallos, & Germanos*: „ Scitis enim, quod ab ipso „ Domino, B. Petro Principi Apostolorum, ejusque Vica-„ riis omnium Ecclesiarum cura commissa est, Veritatis vo-„ ce dicente: *Tu es Petrus*, *& super hanc Petram &c.* „ Verba igitur hæc Domini N. J. C. quemadmodum B. Petro, ita, & Romanis Pontificibus dicta sunt. Eadem fuit sententia, quam protulit.

39. (*Benedicti VII. PP.*, *sæc. 10.*) *Benedictus VII. PP.* (*sæc. X.*) *Epist. ad Episcopos Germaniæ*, *ad Imperatorem Othonem*, *ac ad Ducem Bavariæ*.

40. (*Ratherii Episcopi Veronen.*, *sæc.10.*) *Ratherius Episcopus Veronen.* (*sæc. X.*) *in Itinerario* (quod edidit *Luc. Dacherius Spicilegii Tom.2.*), cujus verba attulimus in probationibus *Propositionis I. Num.II. num.38.*; non repetenda.

41. (*S. Leonis IX. PP.*, *sæc. 11.*) *S.Leo IX. PP.* (*sæc.XI.*) *Epist.I.* (*apud Labb. To.XI.*) *num.7.* „ Nonne a Sede Princi-

„ pis Apostolorum , Romana videlicet Ecclesia , tam per „ eumdem Petrum , quam per Successores suos, reprobata, „ & convicta , atque expugnata sunt omnium hæreticorum „ commenta , & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus „ nec defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirma- „ ta ? „ Tum deinde , longa recensita serie probationum ex factis , *addit n.* 15. „ Vix ab homine testimonium accipi- „ mus , contenti testimonio illius , qui de Cælo venit , & „ super omnes est , & dicit : *Tu es Petrus, & super hanc* „ *petram &c* „ Viden. ibi reliqua .

42. (*S.Anselmi , sæc.* 11.) *S.Anselmus Archiepiscopus Cantuarien.* (*sæc.*XI.) *in Lib. de Fide Trinitatis, & Incarnat. Verbi* , quem inscribit :„ *Domino, & Patri universæ Ecclesiæ in terra peregrinantis, Summo Pontifici Urbano* (II) ita ipsum compellat. „ Quoniam Divina providentia Vestram „ elegit Sanctitatem , cui vitam , & fidem Christianam cu- „ stodiendam , & Ecclesiam suam regendam committeret, „ ad nullum alium rectius refertur , si quid contra Catholi- „ cam fidem oritur in Ecclesia , ut ejus auctoritate corriga- „ tur : nec ulli alii tutius, si quid contra errorem respon- „ detur , ostenditur , ut ejus prudentia examinetur . Qua- „ propter sicuti nulli dignius possum , ita nulli libentius „ præsentem Epistolam , quam Vestræ destino sapientiæ : „ quatenus siquid in ea corrigendum est , vestra censura „ castigetur ; & quod Regulam veritatis tenet , vestra au- „ ctoritate roboretur „ . S. hujus Anselmi , Ecclesiæ sanctæ Doctoris, sensus , & verba usurpantes, ad pedes SSmi Patris Romani Pontificis & nos provoluti , nos , & scripta isthæc , ac alia quæcumque nostra , ejus Supremæ Censuræ , correctioni, auctoritati committimus . Idem præstent, opto , & exhortor , quicumque sint , alii .

43. (*Hadriani IV. PP. , Sæc.*12.) *Hadrianus IV. PP.* (*sæc. XII.*) *Epist.* 39. *ad Henricum Graden. Patriarcham* : „ Sic nimirum Redemptor Noster , cum Ecclesias veluti mi- „ cantes stellas in diversa Mundi climata latius propagaret, „ sacrosanctam Romanam Ecclesiam , cujus B. Petrus Apo- „ stolorum Princeps extitit Gubernator , tamquam splendi- „ dum solem omnibus superesse, & singulas ei Ecclesias, „ utpote membra suo Capiti , statuit subjacere . Quod ex

„ illis verbis manifestius declaratur, quibus eumdem Pe-
„ trum est Dominus allocutus: „ Si diligis me, pasce oves
„ meas „: Tu es Petrus &c. „ . . . . Hoc idem rursus de-
„ monstratur cum dicitur: „ quodcumque ligaveris &c. „ .
„ Ipsi quoque & propriæ firmitas, & alienæ confirmatio da-
„ ta est, quando a Magistro audire meruit: „ Ego pro te
„ rogavi &c. „ Istis itaque, & aliis rationibus sancta, &
„ Apostolica Ecclesia, quæ cælesti privilegio inter alias
„ obtinet Principatum, tantam ab Ipso Capite Domino J.C.
„ prærogativam accepit, ut auctoritatem habeat singularem
„ universis per Orbem terrarum Ecclesiis providendi, &
„ discreta in eis consideratione statuere, quæ cognoscit sta-
„ tuenda „. Igitur quod Petrus a Christo Domino accepit, accepere in Ipso Summi Romani Pontifices.

44. (*S. Bernardi Ab., Sæc.* 12.) *S. Bernardus eodem ævo* (*sæc. XII.*) non aliam, quam traditam a Patribus doctrinam exponebat quoad Primatum Romano Pontifici de jure divino competentem *lib.* 2. *de Consid. ad Eugen. Cap.* 8. (*als.* 9.), ex quo nonnihil excerpsimus (*sup. Num. VII.*), ibi relegenda. Ait vero, ad Pontificem Eugenium verba faciens „ Age, indagemus adhuc diligentius quis sis, quam
„ geras videlicet pro tempore Personam in Ecclesia Dei.
„ Quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex. Tu Prin-
„ ceps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu
„ Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine
„ Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, ju-
„ dicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu
„ es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt qui-
„ dem . . . . . „ (sequuntur verba relata sup. Num. VII.)
„ . . . . . Aliorum potestas arctatur limitibus; tua extendi-
„ tur in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Non-
„ ne si causa extiterit, tu Episcopo cœlum claudere; tu
„ ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & tradere satanæ
„ potes? Stat ergo inconcussum privilegium tuum, tam
„ in datis clavibus, quam in ovibus commendatis. „

45. (*S. Thomæ Aquinatis, Sæc.* 13.) *S. Thomas Aquinas Doctor Angelicus* (*sæc. XIII.*) *in Opusc. adv. error. Græcor.* hæc inter alia habet dictata „ I. Romanus Pontifex Suc-
„ cessor Petri, & Christi Vicarius, est primus, & Maxi-

„ mus omnium Episcoporum : II. Summus Pontifex in totam Ecclesiam Christi universalem Prælationem obtinet: „ III. Romanus Pontifex habet in Ecclesia plenitudinem „ potestatis . IV. S. Petrus est Christi Vicarius , & Romanus Pontifex S. Petri Successor in eadem potestate ei a „ Christo collata &c. „ Quod si quis ex Dissidentibus , vetustis errantium dicteriis motus , S. Thomæ doctrinæ parum tribuere velit , consideret, conferendo quæ diximus , & Deo dante dicemus , quam bene traditioni antiquæ , & coævæ ipsi Ecclesiæ conveniant, quæ Thomas scripsit ; ac si tantum valeat concutiat ea , quæ posuimus , fundamenta , nec non & argumenta ab ipso Angelico D. allata in veritatis confirmationem priusquam doctrinæ ipsius contradicat . Nam *in Summa con. Gen.* ita profunde ratiocinatur (*lib.*4. *Cap.*76. *n.* 1.) „ Manifestum est autem , quod quamvis Populi distinguantur per diversas Diœceses , & Civitates , tamen sicut est una Ecclesia , ita oportet esse „ unum Populum Christianum . Sicut igitur in uno spirituali (forte speciali , vel peculiari) populo unius Ecclesiæ requiritur unus Episcopus, qui sit totius Populi Caput , ita in toto Populo Christiano requiritur, quod unus „ sit totius Ecclesiæ Caput : (num. 2.) Item . Ad unitatem „ Ecclesiæ requiritur , quod omnes fideles in fide conveniant . Circa vero ea , quæ fidei sunt , contingit quæstiones moveri:per diversitatem autem sententiarum dividere- „ tur Ecclesia nisi in unitate per unius sententiam conservaretur . Exigitur ergo ad unitatem Ecclesiæ conservandam ; quod sit unus, qui toti Ecclesiæ præsit : Manifestum est autem , quod Christus Ecclesiæ in necessariis „ non deficit , quam dilexit, & pro ea sanguinem suum „ fudit , cum & de Synagoga dicatur per Dominum : „ Quid ultra debui facere vineæ meæ , & non feci ? „ Isaj. „ 5.4. Non est igitur dubitandum , quin ex ordinatione „ Christi unus toti Ecclesiæ præsit : (n.4.) Amplius . Ecclesia militans ex triumphanti Ecclesia per similitudinem derivatur : unde & Joannes in Apocalypsi vidit Hierusalem descendentem de Cælo : & Moysi dictum est , „ quod faceret omnia secundum exemplar ei in monte monstratum . In triumphanti autem Ecclesia unus præsidet ,

„ qui etiam præsidet in toto universo, scilicet Deus: dici„ tur enim Apocal. 21. 3. „ Ipsi populus ejus erunt, & „ ipse cum eis erit eorum Deus „. Ergo & in Ecclesia mi„ litante unus est, qui præsidet universis. Hinc est, quod „ Osee 1. 11. dicitur: „ Congregabuntur filii Juda, & fi„ lii Israel pariter, & ponent sibi Caput unum „, & Do„ minus dicit Joan. 10. 16.: „ Fiet unum ovile, & unus „ pastor „; & infra: „ Non potest ante dici, quod etsi Pe„ tro hanc dignitatem dederit, per eum tamen ad alios „ (scilicet Romanos Pontifices Successores suos) „ non deri„ vatur. Manifestum est enim, quod Christus Ecclesiam „ sic instituit, ut esset usque ad Sæculi finem duratura se„ cundum illud Joann. 9. 7.: „ Super Solium David, & su„ per Regnum ejus sedebit. ut confirmet illud, & corro„ boret in judicio, & justitia amodo, & usque in sempi„ ternum „. Manifestum est igitur, quod ita illos, qui „ tunc erant, in ministerio constituit, ut eorum potestas „ derivaretur ad posteros pro utilitate Ecclesiæ usque ad „ finem sæculi; præsertim cum ipse dicat Matt. ult. 20.: „ „ Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæ„ culi „. Per hoc autem excluditur quorumdam præsum„ ptuosus error, qui se subducere nituntur ab obedientia, „ & subjectione Petri, Successorem ejus Romanum Ponti„ ficem universalis Ecclesiæ Pastorem non recognoscen„ tes „. Videatur sup. (Num. IX.), & infr. Append. I. (Num. XXII., & XXIII.), ac II. (cap. I., & II.)

46. (*S. Bonaventuræ, Sæc.* 13.) *S. Bonaventura* (*Sæc. XIII.*) *initio Opusc.* „ *Quare Fratres Min. prædicent* „: „ Re„ sidet plenitudo potestatis Ecclesiasticæ apud Sedem Apo„ stolicam Romanæ Ecclesiæ, cui Apostolus Petrus Prin„ ceps Apostolorum specialiter præsedit &c. „

47. (*Urbani IV. PP., Sæc.*13.). Hinc est, quod *Urbanus IV. PP.* (*Sæc.XIII.*) cum pro concilianda unione Ecclesiæ Græcæ cum Latina vehementer adlaborasset, ut viam huic optatissimæ unioni (quam maxime optamus & nos, & pro qua valde & in humilitate nostra, & inter maximos dolores fatigamur) pararet, ea de re duxit Michaelem Palæologum Græcorum Imperatorem, adductis etiam validissimis argumentis ex

ipsa Ecclesiæ institutione, & ex Sacra Scriptura petitis, de summa Romani Pontificis supra ceteras Ecclesias dignitate a Domino J. C. in B. Petro Ipsi collata, instruere; qua habita doctrina, Imperator gratia Christi præveniente, concomitante, ac subsequente, fidei edidit Professionem, quæ libentissime *in Generali Concil. Lugdunen. II. accepta est*. Adeatur *illa Epistola Catechetica apud Raynald. ad ann.* 1263. *num.* 30.

(*DD. omnes Catholici, & Romani Pontifices a Sæcul.* 13. *usque ad nos eamdem doctrinam tradidere de Primatu S. Sedis*) Mittimus illius ævi, quod a tertiodecimo Sæculo usque ad nos defluxit, documenta, quoniam manifessima res est, Scriptores Catholicos, quotquot tunc floruerunt, Romanosque Pontifices, hanc doctrinam de Primatu jurisdictionis docuisse jugiter, ita ut qua dogma fidei (*Martinus V. eam, ut dogma fidei, proposuit*) *S. M. Martinus V.* eam proposuerit *in Concil. Constantiensi, & in Bulla contra errores Joann. Wicheff, & Joann. Hus*, in qua, inter cætera, quemvis de adhæsione ad errores illorum suspectum interrogari jubet: „ *Utrum credat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit* (ejus nomine expresso) *sit Successor B. Petri, habens Supremam Auctoritatem in Ecclesia Dei* „?

Satis hæc sunt certe ad Patrum Ecclesiæ concinentem sententiam exponendam (*Id etiam docuere plures sanctitate, & doctrina clarissimi Viri*). At subit animum cogitatio, ut quædam adjiciamus ex nonnullis Scriptoribus doctrina clarissimis, & quorum nonnulli etiam sanctitate illustres fuerunt, qui licet in censu Patrum Ecclesiæ, stricte loquendo, non adnumerentur, nihilominus in agro Catholicæ Ecclesiæ laborum suorum saluberrima, ac fœcundissima semina seminantes, centesimum fructum reportarunt: Sunt autem

(*S. Yvo Carnotensis*) *S. Yvo Carnotensis Episcopus Gallicanæ Ecclesiæ lumen Epist. VIII.* „ Sedis Apostolicæ „ (ait) judiciis, & Constitutionibus obviare, plane est hæ„ reticæ pravitatis notam incurrere. „

(*S. Thomas Cantuariensis M.*) *S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, & Martyr Epist.* 122. *lib.* 1. sic Gilbertum Londinen. Episcopum alloquitur: „ Non est sub Sole, qui „ de manu Summi Pontificis possit eruere; solus infidelis „

„ aut qui eum superat hæreticus, aut schismaticus, Apo„ stolicis obtrectat obedire mandatis „. *Et Epist. 97. ejusdem lib. I. omnino videnda*.

Verum ne limites ejus, qua uti possumus brevitatis in maximo negocio, transgrediamur mittimus (*Petrus V. Ab. Cluniacensis*) „ ad Petrum Ven.Abb. Cluniacensem, „ cujus verba legere est in Bibliot. Cluniacen. pag. 689. „ (*Guigo Prior Chartusiæ Maj.*); ad Epistolam Ven. Guigo„ nis Prioris Carthusiæ Majoris, quæ refertur in Chronico „ Mauriacensi (*Potho Prumiensis*); ad opus de Statu Do„ mus Dei Pothi Prumiensis Monachi, scientia, & pieta„ te insignis (*B. Aelredus Ab.*); ad Comment. in Cap. 15. „ Isaiæ Prophetæ a B. Aelredo scriptum, qui Abbas Cister„ ciensis Monasterii Rievallis in Anglia pietate, ac sapien„ tia luxit in Ecclesia; „ ut prætereamus (*Gennadius Scholarius*) „ Gennadium Scholarium Patriarcham Constanti„ nopolitanum in Expositione Apologetica Generalis Con„ cilii Florentini, præsertim in Proæmio, & Sect. I. de 5. „ Capite (*Hugo Eterianus*); Hugonem Eterianum virum „ græce, & larine doctum, qui cum apud Manualem Com„ nenum Imperatorem Constantinopoli ageret anno Chri„ sti 1177., annuente ipso Manuele, 3. scripsit libros „ „ De hæresibus, quas Græci in Latinos devolvunt „, præ„ cipue lib. 3. Cap.16. „ (*Igitur vox de Primatu Romani Pontificis vox est Sanctorum Græcorum, & Latinorum*). Igitur vox, quæ clamat, Romanum Pontificem in universum Orbem habere Primatum, vox est Sanctorum, Græcorum pariter, ac Latinorum, quos omnium Artifex docuit Divina Sapientia, qui sacram scientiam ex ipso Dominici pectoris fonte per orationem, atque cœlestium contemplationem potarunt: ideoque, si quis Supremam in Ecclesia Romani Antistitis potestatem negaverit, voci Sanctorum se contradicere cogitet; videatque, nullam excusationem habiturum apud Deum de peccato suo. Oh piaculum magnum parvi pendere scita Sanctorum, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones! Certe, qui ita aberrando evanescit in cogitationibus suis, a fidei veritate alienus est: (*& pro hac fide sanguinem profuderunt: SS. MM. Gorgonienses*) pro qua usque ad sangui-

nem esse certandum exemplo suo nos docuerunt SS. Martyres Gorgomienses, prout in *Romano Martyrologio legitur ad diem 9. Julii* „ Brielæ in Hollandia passio novendecim Mar„ tyrum, Gorgomiensium nuncupatorum, qui ob tuen„ dam Ecclesiæ Romanæ auctoritatem, & realem Christi „ in Eucharistia præsentiam, a Clavinianis hæreticis varia „ ludibria, & tormenta perpessi, extremo supplicio Mar„ tyrium consummarunt „ (*Et S.Engelbertus Episcop.*) : *Et S.Engelbertus, de quo idem Martyrologium ad diem 7. Novemb.* habet„Coloniæ S.Engelberti Episcopi,qui pro defensione Ec„ clesiasticæ libertatis;& Romanæ Ecclesiæ obedientia marty„ rium subire non dubitavit „ . (*Nec Lutherus potuit contradicere*) Sane necipse Lutherus potuit certissimæ veritati contradicere:Enimvero inEpist.ad piumLectorem in fin.Respons. ad P.Prierat. (To.I.Opp.Luth. Edit.Jenæ) ait : „ Omnes simul „ fateri, Papæ auctoritatem robur habere ex illo Christi : „ Tu es Petrus, & : Pasce oves meas ; hoc est, non Scrip„ turas ex Papæ auctoritate, sed auctoritatem Papæ ex „ Scripturis pendere „ ; in Epist. ad Leonem X. 1518. „ (Tom. cit.) „ Me pedibus Tuæ Beatitudinis (scribebat) „ offero, cum omnibus, quæ sum, & habeo : Vivifica, „ occide, voca, revoca, approba, reproba, ut placuerit : „ vocem tuam vocem Christi in Te præsidentis, & loquen„ tis agnoscam „ ; In Protestat. &c. (eod. Tom.) Titulum „ „ Conclus. 7. ponit : „ Nulli prorsus remittit Deus culpam, „ quin simul eum subjiciat in omnibus humiliatum Sacer„ doti suo Vicario „ , & concludit : Hæc igitur est illa dul„ cissima potestas, de qua summas gratias ex imo cordis „ agere debemus Deo, qui talem dedit potestatem homini„ bus, quæ est unica consolatio peccatorum, si modo Chri„ stum vera promisisse credant „ ; in memorata Respons. „ ad Prierat. ad Conclus. 75. ait : „ Non dixi Papam mino„ rem Petro, imo nolui ut Papam, & Petrum negarent „ majores gratias habere, quam sint veniæ „ , & ad Con„ clus. 76. : „ Ego dico non ironice, sed plane, quod *omnis* „ *Papa* habet majores gratias, quam veniæ sint, scilicet „ Evangelium, gratias curationum, & omnia, quæ scri„ buntur I. ad Corinth. 12., non in persona sua, sed in „ potestate sua, idest eo modo, quo gratias veniales ha-

„ bet . . . . . Dixi, in manu Papæ esse, ut ordinet, mit-
„ tat, ponat, sicut corpori Ecclesiæ expedire videtur „; in
„ Conclus. 15. ad Leonem X. (eod. To.): „ Papa generali-
„ ter, Episcopus particulariter, Christianus individuali-
„ ter „; in Titulo Conclus. 61.: „ Clarum est enim, quod
„ ad remissionem pœnarum, & casuum sola sufficit pote-
„ stas Papæ „; in Relat. Lutheri de actis a se apud Card.
„ Cajet. mense Octobris 1518. (Tom. cit.) „ Creditum est
„ enim jamdiu, quod quicquid Romana Ecclesia dixerit,
„ damnarit, voluerit, id mox omnibus dicendum, dam-
„ nandum, volendum esse; nec aliam reddi rationem opor-
„ tere, quam quia sic Sedes Apostolica, & Romana Eccle-
„ sia sentit „; in duabus epist. ad Card. Cajetan. pridie,
„ & die Lucæ Evangelistæ (eodem To.): „ supplico, Rm̃a
„ Paternitas T. dignetur ad SSm̃um PP. nostrum Leonem X,
„ istam causam referre . . . . . Nihil enim aliud cupio,
„ quam Ecclesiam audire, & sequi . . . . „ (antiqua, & Apostolica fide de Dogmate Primatus Romani Pontificis adhuc imbutus Lutherus eam judicabat veram Christi Ecclesiam, cui tanquam visibile Caput præest Romanus Pontifex, dum pro eodem habet Christi Ecclesiam & Romanam Ecclesiam) „ omnia in judicium Ecclesiæ refero, &
„ nonnisi sententiam ejus expecto . . . . nec adversarius
„ contendere, sed discipulus audire volo . . . . Hanc ap-
„ pellationem (ad Leonem X.) . . . . boni consulere.
„ Nam eorum vox hæc est . . . . Quid tu revocabis? . . .
„ Damnet Ecclesia prius, si quid damnandum est, &
„ ejus tu judicium sequere; non illa tuum sequatur judi-
„ cium; atque ita victus cedo „; in Epist. ejusd. Lutheri
„ ad Leonem X. 3. Martii 1519. „ Nunc, Bm̃e Pater, co-
„ ram Deo, & tota creatura sua testor, me neque voluis-
„ se, neque hodie velle Ecclesiæ Romanæ, aut Beatitudi-
„ ni T. potestatem ullo modo tangere, aut quacumque ver-
„ sutia demoliri. Quin plenissime confiteor hujus Ecclesiæ
„ potestatem esse supra omnia, nec ei præferendum quic-
„ quam sive in Cœlo, sive in terra, præter unum J. C.
„ D.N. „ Quin imo, postquam Lutherus ipse ab hac doctrina recessit, nihilominus Fidelium consensu (*Disput. Lips.* 4. *Jul.* 1518., *eod. Tom.*) obsequium suum erga Summi

Pontificis auctoritatem muniebat, impossibile judicans, Jesum Christum una cum tam magno Christianorum numero non esse, ideoque damnabat Bohemos, qui separaverunt se a nostra Catholica communione, & protestabatur, numquam se in schisma lapsurum schismati Bohemorum simili hæc scribens: „ Me egregius Doctor „ (Joan. Echius pro „ nobis stans viriliter) „ insimulat Bohemicæ factionis „ studiosum . . . Parcat ei Dominus . . . Nunquam mi- „ hi placuit, nec in æternum placebit quodcumque schisma. „ Inique faciunt Bohemi, qui se auctoritate propria sepa- „ rant a nostra unitate „ Catholicum enim Ecclesiæ Romanæ conjunctum tunc se esse dicebat Lutherus. Cum Luthero concinuit Wittembergen. Accademia in Epist. ad Frider. Ducem 9. Kal. Decembris 1518. „ Si repertus fuerit hic „ homo (Lutherus) in aliquo male sensisse, erimus pri- „ mi, qui eum alienum habebimus: Nihil enim antiquius „ ducimus judicio S. Romanæ Ecclesiæ „. Audiant nunc Dissidentes Œcumenica Concilia in Oriente, atque Occidente celebrata.

Probatur Primatus jurisdictionis Romani Pontificis auctoritate Oecumenicarum Synodorum.

XLIII. *I.* (*Accedunt Concilia Oecumenica: Nicænum I. Generale primum*) Quod *Concilium Oecumenicum Nicænum I.* de Primatu S. Sedis illustre reliquerit monumentum, docuerunt nos *Sæc. V. S. Felix PP. III. in Epistola Synodali; nec non & S. Gelasius in Tractatu* (*supra Num. XLII. sub num.* 16. *&* 18.)

2. (*Constantinopolitanum I. Generale secundum*) *Synodi Oecumenicæ secundæ, Constantinopolitanæ primæ* Venerabiles Patres eamdem in S. Damaso PP. Primatus dignitatem suspexerunt, ac professi sunt in Epistola Synodica (Labb. Tom. III. pag. 1145.), in qua hæc habentur: „ Vos, (S. Da- „ masum alloquuntur) . . . . . Concilio voluntate, ac „ nutu Dei Romæ coacto, Nos *veluti membra propria*, per „ litteras accersivistis . . . . Est certe Nobis omnibus in- „ optatis si posset fieri . . . Vestro desiderio, aut necessa- „ rio potius Ecclesiæ negocio inservire. Quis enim nobis

„ dabit pennas sicut Columbæ, & volabimus, & requiescemus apud vos? Verum quoniam hoc modo Ecclesiæ nuper renovatæ nudarentur . . . . oravimus Rm̃os Fratres & Collegas nostros . . . ut laborem ad Vos proficiscendi suscipere non gravarentur „ Ad hæc; Synodus suorum confirmationem Decretorum, maxime quantum ad Timothei Episcopi Appollinaristæ exauctorationem, a S. Damaso supplex postulavit. Qua de re *Damasus ipse ad Orientales Episcopos* scribit (*apud Theodoritum lib.*5. *cap.*10.): „ Quod vestra charitas debitam Sedi Apostolicæ reverentiam tribuit (Filii honoratissimi), vobis ipsis quoque maxime sane honori est . . . Itaque quid est, quod abdicationem Thimothei a me rursus requiratis, qui etiam hic judicio Sedis Apostolicæ, Petro quoque Alexandrino præsente, abdicatus est, una cum Magistro suo Appollinari &c. „

3. (*Ephesinum I. Generale tertium*) *Concilium Ephesinum I. Generale tertium, in Sententia depositionis Nestorii* (*Act. I.*): „ Coactis (inquiunt) „ per sacros Canones & „ Epistolam SSm̃i Patris nostri „ (En, quod Episcopi in Œcumenica Synodo congregati *Patris* nomine compellant Romanum Pontificem) „ & Comministri Cœlestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi, lacrymis subinde perfusi ad lugubrem hanc contra eum Sententiam venimus „ : Et (*Act. III.*) Philippus Presbyter, Sedis Apostolicæ Legatus, coram Synodo ait „ : Nulli dubium, imo sæculis omnibus notum est, quod Sanctus Bm̃usque Petrus Apostolorum Princeps . . . , qui ad hoc usque tempus semper in suis Successoribus vivit, *& judicium exercet*: „ Quibus auditis „ S. Synodus dixit „ Cum Arcadius . . . . & Philippus Presbyter, & Apostolicæ Sedis Legatus consentanea sint locuti, consequens est &c. „

4. (*Chalchedonense Generale quartum*) *Calchedonensis Concilii Generalis IV.* Patres in Relatione ad S. Leonem, recensitis Dioscori excessibus in damnatione Flaviani, & restitutione Eutychetis, addunt „ Insuper, & contra Ipsum, „ cui vineæ custodia a Salvatore commissa est, extendit insaniam, idest contra tuam quoque Apostolicam Sanctitatem „ : *A Salvatore*, inquiunt, *commissa est*, scilicet

Divino jure concessa. Insuperque in eadem Relatione Patres ajunt: „ Quibus (Patribus Synodi) Tu, sicut mem-
„ bris Caput, præeras his, qui tuum tenebant ordinem,
„ benevolentiam præferens „: Vide etiam de Calchedonensi Concilio ea, quæ adnotavimus (*Num. XLII. sub num. 21. ubi de Theodorito*).

5. (*Constantinopolitanum II. Generale V.*) Lectæ sunt *in Concilio Generali V. Constantinopolitano II. Act. I.* Litteræ Eutychii Patriarchæ Constantinopolitani ad Vigilium PP. fidei professionem ipsius continentes, & preces humillimas communi nomine„ & ideo (inquiunt)petimus,præsidente no-
„ bis vestra Beatitudine ,... communi tractatu eadem Capi-
„ tula (hoc est tria Capitula) in medio proponenda quæri,
„ & conferri, & finem quæstioni imponi „: Atque *in eadem Actione* Episcopi illi Orientales Constantinopoli coacti honorificentissimam ad PP. Vigilium legationem decreverunt, quam imposuere dicto Eutychio, & aliis Patriarchis Alexandrino, & Antiocheno, ac Metropolitanis sedecim. Hi, Concilii nomine, Pontificem adierunt, rogantes, ut ad Synodum vellet accedere.

6. *Constantinopolitanum III. Generale VI.*) *A Concilio Generali VI. Constantinopolitano III. datas Synodicas Epistolas excerpsimus* (*sup. Num. XXXIV.*), in quibus Patres a S. Agathone confirmationem Decretorum suorum reverenter petierunt; atque Eum *primæ Sedis Antistitem universalis Ecclesiæ* celebrarunt. Addimus sermonem Acclamatorium ad Principem, in quo Patres de S. Agathone inquiunt: „ SSmi Pa-
„ tris nostri, & Summi Papæ dogmaticis litteris &c. „ &
„ infra „ Summus autem nobiscum concertabat Apostolo-
„ rum Princeps: illius enim imitatorem, & Sedis Succes-
„ sorem habuimus fautorem „ (scilicet Agathonem).

7. (*Nicænum II. Generale VII.*) *Synodi Generalis VII. Nicenæ II.* sententiam expressimus (*sup. Num. XLII. n. 32. in Hadriano I.*), qua litteras ipsius Pontificis se suscipere, ac sequi ipsa Synodus respondit Legatis Pontificiis interrogantibus.

8. (*Constantinopolitanum IV. Generale VIII.*) *De Concilio Generali VIII. Constantinopolitano IV.* strictim amore, ac studio brevitatis loquimur, quamvis tam illustria sint de

summa Romani Pontificis dignitate ea, quæ in illo dicta, gestaque fuere, ut mirandum in modum fidem Ecclesiæ demonstrent. Subscripsere Patres omnes Libello, seu Formulæ *a Summo Pontifice Hadriano II.* missæ, *& Act. I. relectæ*; quæ illa est punctim, quam olim S. Hormisdas miserat ad Orientales Episcopos, & cui isti pariter subscripserunt (*sup. in Prolegomenon Num. XXIV.*): In hoc autem Libello pro eodem est, *sequestratum esse ab Ecclesiæ Catholicæ communione, ac non esse consentientem Sedi Apostolicæ*; spondentque Episcopi omnia ejusdem Sedis Constituta servare. *In eadem Act.* I. Legati Sedium Patriarchalium Orientis Alexandrinæ, Antiochenæ, & Hierosolymorum, sciscitanti Bahane Patritio responderunt, tres Orientales Thronos istos non recepisse Photium eo, quod *præcedens, & præsidens Sedes Senioris Romæ* eum non recepisset. *Act. II.* Episcopi pœnitentes a Legatis Apostolicis pacem, & reconciliationem habuerunt: „ Suscipimus vos (inquiunt Legati) se„ cundum præceptionem SSmi Patris Nostri Hadriani &c. „: ac memorato Libello subscriptionibus suis Episcopi illi adhæserunt plenissime: Et *Act.* IV. impœnitentes Pseudo-Episcopi duo, jubentibus Apostolicis Legatis, foris projecti sunt. Scripsit etiam Œcumenica hæc Synodus ad Summum Pontificem pro confirmatione iis verbis, quæ allata a nobis sunt (*sup. in Proleg. Num. XXXIV.*). Scripsere itidem ad eumdem Hadrianum II. Basilius Macedo, & S. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus Sanctitatem suam rogantes, ut cum Theodoro Metropolitano Cariæ dispensaret, eique restitueret Episcopatum; atque intercedebant, ut Paulus Chartophylax, concessa ipsi venia, ad Episcopatum posset promoveri. Novimus, quid Græci Dissidentes respondeant: Nempe; Synodum hanc non fuisse Œcumenicam, sed Oecumenicum fuisse unum, vel alterum a Photio habitum Latrocinium. Ast ea, quæ sapienter ad rem protulit *Augustus Basilius Act. VI.* Concilii nostri, plenissime ad Græcos referri possunt. „ Vos . . . . huic præ„ senti (Synodo), quæ ab omnibus Patriarchalibus Thro„ nis celebrata est, Dei cooperatione, ac gratia, qui Im„ perium Nobis commisit, detrahere non erubescitis? Uti„ que nostis & Vos, & Universitas, quæ sub Cœlo est,

„ quia protectione veri Dei Nostri quinque Patriarchalia „ Orbis Terrarum „ (quoniam Summus Pontifex per Legatos præsedit) „ recta sentiunt, & non est læsio fidei : Et „ ideo quicquid judicant, debetis necessario recipere „. Sane, Hadrianum II. confirmasse hanc Synodum Oecumenicam patet *ex ejus Epistola ad Basilium Imperatorem, quæ ad calcem Actorum* legitur, nec non *ex Professione Fidei, quam Romani Pontifices statim ac erant electi sæc. 9.* emittebant, in qua servaturos se profitebantur „ Sanctaque Octo „ Universalia Concilia, idest . . . Octavum quoque Constantinopolitanum usque ad unum apicem immutilata „ servare „. Et apud Græcos omnes orthodoxos tanta in veneratione fuit nostra octava Synodus, *ut ejus Breviarium ad Valvas Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ cum insigni Elogio affixerint*, in quo *Oecumenica* non semel appellatur; legiturque hæc Procerum, ac Patritiorum Professio: „ Sanctam, & Œcumenicam Synodum Octavam recipimus, „ admittimusque, quos illa admittit; & damnamus, quos „ illa damnat. Et si quando receperimus eos, quos Synodus „ ejecit, a Christo anathema simus „. Videant Græci Dissidentes, ne incidant in illud horrendum Anathema, quod Græci isti Majores eorum sibi ipsis imprecati sunt; ac recordentur ad salutem, quod etiam Hæbrei quum clamassent: „ Sanguis ejus (Domini N.J.C.) super nos, & super filios nostros „ (*Matt.* 27. 25.) a Deo correpti sunt in furore suo. Ipsi autem Græci Dissidentes haud difficile fatentur, Œcumenicas, legitimasque eas esse Synodos, quæ Universales fuerint, utpote præsentibus Patriarchis omnibus totius Orbis, vel per Se, vel per Procuratores suos, & Præsidente, per seipsum, aut per suos Legatos, Romano Pontifice, quibusque accesserit ejusdem Summi Pontificis confirmatio. E diverso autem Photius prius invasor, & adulter Ecclesiæ Constantinopolitanæ, vivente legitimo Patriarcha S. Ignatio; deinde post hujus mortem illegitime ad eam Ecclesiam ingressus est, quia spretis conditionibus, quibus Joannes VIII. Summus Pontifex illum ad Patriarchatum se promovere velle in mandatis ad suos Legatos datis declaraverat; itaut Constantinopolitanus Patriarcha nullo modo secundum Jus dici possit. Tum dein-

de; dicant nobis Photius, eique adhærentes Græci, quando nam, quibusque verbis Redemptor humani generis Constantinopolitanum Patriarcham amplissima Supremi Primatus dignitate insignierit, ad hoc ut possit legitime Concilia Generalia convocare, iis præsidere, ea confirmare, ac totam Catholicam Ecclesiam ad credendum, & obediendum cogere? Certe, notissimum est omnibus, numquàm a Domino N. J. C. Primatum Catholicæ Ecclesiæ Constantinopolitanis Episcopis fuisse collatum: Imo sciunt universi Populi, Constantinopolim olim, usque ad quartum Ecclesiæ sæculum, fuisse Byzantium, ejusque Episcopos toto illo sæculorum decursu subjectos jurisdictioni Metropolitanæ Sedis Heracleæ in Tracia. Denique, quod gravissimum est, *Joannes* VIII. PP. certior factus de malis artibus, deque sacrilega Photii impietate, qua Pseudo-Synodum Constantinopoli celebrarat post nulliter obtentam, iterumque invasam Sedem Patriarchalem, novo anathemate ipsum Photium damnavit, ut docet „ series Synodicarum Sententiarum, & Decretorum Romanorum Pontificum extans „ post Epistolam Formosi ad Stylianum in Append. Actor. „ Græcor. Synodi VIII. Œcumenicæ a Matthæo Radero latinitate donatorum „. Legendum est per extensum hoc venerandæ antiquitatis monumentum, quod hisce verbis desinit: „ Joannes (Pontifex) accepto Evangelio Ambonem conscendit, cunctisque audientibus dixit: Quicumque Photium non justo Dei judicio condemnatum judicat, quemadmodum nempe illum hi, qui me præcesserunt Nicolaus, & Hadrianus SSmi PP. damnatum reliquerunt, anathema esto „. Joannis PP. Successor *Marinus I.* (seu Martinus II.) rursus damnavit Photium, omniaque ejus Acta rescidit. Qui *Marino* suffectus est Pontifex *Hadrianus III.* Photium semper ut damnatum ab Ecclesia execratus est, atque ut Laicum insectatus: Itidemque *Stephanus* VI. (als. V.) post Hadrianum III. Pontifex Photii damnationem confirmavit, eum non habens nisi ut hominem laicum quoad Ordinum, & Episcopatus exercitium. Quomodo igitur poterunt Græci, cum quibus agimus, pro legitimis, atque Œcumenicis Photianos cœtus venditare; ac suadere sibi, quod aliis paradoxa isthæc pos-

sint ingerere? Quis enim, nisi ad radios Solis justitiæ Christi, & ad fidei Catholicæ claritatem volens oculos clauserit, non videat vera fuisse Latrocinia, quas Photius impie, ac sacrilege coegit satanæ synagogas, quibus ipse in cathedra pestilentiæ sedens ausus fuit præesse? Domine Deus aperi oculos cæcorum, ne ulterius obdormiant in morte: illustra faciem tuam super illos, & salvos fac eos, neque despicias, quoniam opera sunt manuum tuarum.

9. (*Reliqua Generalia Concilia certum est, suspexisse Romanum Pontificem, qua Catholicæ Ecclesiæ Caput*). Diximus de octo prioribus Oecumenicis Conciliis, quæ in Oriente celebrata sunt. Superfluum autem videri poterit in inquirenda reliquorum Generalium Conciliorum sententia de Romani Pontificis Primatu jurisdictionis immorari, quoniam indubia res est; & Concilia quotquot fuere, in Summo Antistite Supremam Dignitatem cum potestate in universa Ecclesia conjunctam suspexisse, venerata esse, eique humillime paruisse. (*Octo priora Concilia ante Photium habita testantur, eam fidem semper ab Ecclesia prius fuisse retentam*). Atque hic observandum est, quod illa eadem octo Concilia habita sunt ante Photium, ac Photio vivente; unde clarissime & hinc patet, fuisse ante eum jugiter (quemadmodum etiam post eum usque ad Cerularium, & ultra usque ad nos) Ecclesiæ persuasionem de Primatu Romani Pontificis non interruptam. Attamen non modica Græcorum portio, dilectissima nobis in Christo, veneno hæresis fascinata eam fidei sprevit pretiossimam hæreditatem „ Uti„ nam non recessissent a Patre„ (Christo, & a Matre Catholica Ecclesia) „ . . . . Sed posteaquam domum patriam de„ relinquentes, peregre profecti sunt, cæperunt egere. Merito „ ergo prodegerunt patrimonium, qui recesserunt ab Eccle„ sia „ S. Ambrosius *lib. 7. Comment. in caput* 15. *Luc. post. init.* Quid autem faciendum sit jam diximus (*sup. in Proæm. per tot, & præsertim sub num. 6.*)

10. (*Quoad posterius ævum, idem expresse docuere Concilia Generalia*): Igitur de posterioribus Synodis satis erit adnotare: (*Lateranense IV.*) *Concilii Lateranen. IV. Oecumenici* exscripsimus *Canonem V.* (*sup. in Prolegom. Num. XXXVI.*)

11. (*Lugdunense II.*) *In Generali Synodo Lugdunen. II.* (de qua plura diximus in Opusc. „ De Processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio „ ac sup. in Prolegom.Num.XXXVII.) Sess. IV. lectæ sunt Imperatoris Michaelis Palæologi Litteræ ad B. Gregorium X. PP., cum quibus Epistolæ Prælatorum Græcorum concinebant. Illæ autem sic inscribuntur „ SSmo, „ & Bmo Primo, & Summo Pontifici, Apostolicæ Sedis Ven. „ Papæ, & communi Patri omnium Christianorum, & Ven. „ Patri Imperii Nostri &c. : „ Insuperque in iisdem hæc habentur : „ Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia summum, „ & plenum Primatum, & Principatum super universam „ Ecclesiam Catholicam obtinet : quem se ab Ipso Domino „ in B. Petro Apostolorum Principe, sive vertice, cujus „ Romanus Pontifex est Successor, cum potestatis plenitu- „ dine recepisse veraciter, & humiliter recognoscit (Impe- „ rator). Et sicut præ ceteris tenetur (Summus Pontifex) „ fidei veritatem defendere; sic & si quæ de fide subortæ „ fuerint quæstiones, suo debent Judicio definiri. Ad quem „ potest gravatus quilibet super negociis ad Ecclesiasticum „ Forum pertinentibus appellare; & in omnibus Causis ad „ Examen Ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius potest Ju- „ dicium recurri; Et eidem omnes Ecclesiæ subjectæ, ipsa- „ rum Prælati obedientiam, & reverentiam sibi dant. Ad „ hanc autem sic plenitudo potestatis consistit, quod Ec- „ clesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit: quatenus „ multas, & Patriarchales præcipue, diversis privilegiis ea- „ dem Ecclesia Romana honoravit, sua tamen observata „ prærogativa tum in Generalibus Conciliis, tum in ali- „ quibus aliis semper salva „ ; Et infra „ Primatum quoque „ ejusdem S. Romanæ Ecclesiæ, prout in præmissa serie „ continetur, ad ipsius Sanctæ Ecclesiæ obedientiam spon- „ taneam venientes, confitemur, & recognoscimus, acce- „ ptamus, & sponte suscipimus „ . His perlectis litteris Georgius Acropolita, & Magnus Logotheta, Imperatoris Orator, ejus nomine schisma ejuravit, Romanæ Ecclesiæ fidem professus est, Romani Pontificis Primatum agnovit; ab ea fide, & obedientia nusquam discessuram ejus Majestatem, interposita jurisjurandi religione, confirmavit. Idemque Græcorum Præsulum Legati præstitere.

12. (*Florentinum*) . *Definitionem Fidei Concilii Generalis Florentini* dedimus (*initio Proœmii num.* 1.)

13. (*Tridentinum*) . *Tridentina* autem *Synodus & ipsa Oecumenica Sess.* 14. *cap.* 7. declarat , Pontifices Maximos, pollere suprema potestate sibi tradita in Ecclesia .

XLIV. (*Concilia Oecumenica , & PP. pro eodem habuerunt Primatum S. Petri , ac Romanorum Pontificum*) . Animadvertere autem oportet , quod Oecumenica Concilia , & Patres in nihilo differre censuerunt Cathedram , ac Primatum B. Petri a Christo Domino ei collatum a cathedra , & Dignitate ejus Successorum in Romana Sede , itaut pro synonimo habuerint Bmi Petri Dignitatem , ac Romanorum Pontificum potestatem ; & quod a Redemptore mundi S.Petro concessum est , id omne traditum perhibuerunt in B.Petro Romanis Antistitibus . Hinc *S. Cyprianus* Romanam Sedem *locum Petri* appellavit ; ac *S. Petrus Chrysologus* dixit , in ea Petrum vivere , & præsidere ; ac similia habent Patres ceteri , ac Synodi Generales , ut legentibus , & considerantibus patet . (*Quare cum eorum sententiis de successione Romanorum Antistitum , conjungenda sunt allata argumenta evincentia B. Petri dignitatem*) . Quapropter cum sententiis Conciliorum , & Patrum , quas dedimus ad probandam *Successionem Romanorum Pontificum in Primatum S. Petri* , conjungenda sunt quotquot pariter attulimus (*sub Propositione I.*) argumenta tam ex Sac. Scriptura , quam ex Patribus , ex Theologicis rationibus , ex Liturgiis , Officiisque Ecclesiasticis Ecclesiæ Orientalis (a Num. I. ad totum Num. XIV.) ad asserendum S. Petri ipsius Primatum ; quoniam hæc etiam omnia confirmant Principatum Supremum Pontificis Romani in Catholica Ecclesia . Oh maximum veritatis pondus , contra quam portæ inferi non prævalebunt , potens inferni vim , & astum , superbiam , ac malitiam vincere ! Idcirco nos „ tantam habentes impositam nubem testium , depo„ nentes omne pondus , & circumstans nos peccatum , per „ patientiam curramus ad propositum nobis certamen „ (Hæbr. 12. 1.) ; quod cum diabolo , & cum mundo habemus quotidie in hac lacrymarum valle ; & ita curramus in simplicitate , & veritate fidei (quam extra Catholicam Romanam Ecclesiam non est invenire) , ut bravium æternæ fe-

licitatis accipiamus; memores verborum *S. Leonis Magni Epist. ad Episcopos per Provinciam Viennen. constit.* (*Edit. Baller. X. cap. 1.*) „ *Ut exortem se mysterii intelligeret esse divini qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere* „ .

Probatur Romani Pontificis Primatus ex consuetudine, qua ipsi in universum Orbem, nemine contradicente, jurisdictionem exercuerunt.

XLV. (*Supremam auctoritatem in Orientem etiam explicarunt Summi Pontifices, nullo contradicente*). De consuetudine in re, de qua agimus, nonnisi parce, ac summatim amore, ac studio brevitatis loquimur. Nec facta tangimus, quibus Romani Pontifices suam in Occidente jurisdictionem protulerunt; Quare de his solum agimus, quæ Orientem respiciunt. Longissime abduceretur oratio nostra, si omnia persequi nobis ipsis proponeremus vel de uno Oriente; pene autem infiniti essemus Occidentem peragrando. Sed & potestatem Primatus Apostolici in Occidentalibus plagis nobis ultro donabunt vel Græci Dissidentes nisi quoad hanc velint nobis succensere, ac reponere (quamvis perperam) nullius ponderis esse, quæ de usu potestatis in Occidente argumenta petantur. Itaque de Ecclesiis, & Nationibus Orientalibus unice; nonnulla autem tantum facta seligimus, contenti etiam ista indigitare, latius ex Historiis Ecclesiasticis petenda. (*Sæc. I. S. Clemens PP.*). Relata a nobis sunt (sup. Num. XXI.) quæ S. Irenæus scripsit de *S. Clemente PP.* (*sæc.* I.), qui Corinthios *ad pacem congregavit* auctoritate sua, eorumque *reparavit fidem* . (*Sæcul. II. S. Victor PP.*). *De S. Victore PP.* (*sæc. II.*) sermonem habuimus (*sup. Num. XLII. num. 2. cum de S. Irenæo*). (*Sæc. III. Aurelianus Cæsar Romanum Pontificem supremum Caput Orientalium etiam Ecclesiarum agnoscit*). Aureliani Ethnici Imperatoris (*sæc. III.*) quin dein undecimam persecutionem Ecclesiæ intulit, sententiam refert *Euseb. lib. 7. Hist. Eccles. cap. 26.* „ Ubi Paulus igitur (Samosatenus) simul „ cum orthodoxa fide Episcopatum (Antiochenum) amisis- „ set, Domnus ministerium Ecclesiæ (hoc est Patriarcha- „ tum) apud Antiochiam suscepit. Verum, cum Paulus

„ ex Episcopi domo, ejus Ecclesiæ propria, exire nollet;
„ Imperator Aurelianus ea de re rogatus sententiam, san-
„ ctissime (idest, prout oportebat), quid esset agendum
„ decrevit. Præcepit enim, ut domus Ecclesiæ illis tribue-
„ retur, quibus Christiani Italiæ, & Urbis Romæ Episco-
„ pi per litteras tribuendam præscriberent „: Romanæ Ec-
clesiæ præerat tunc S. Dionysius; Igitur penes omnes, & penes ipsos Ethnicos indubitata res erat, Romanorum Pontificum in omnem Orbem jurisdictionem se extendere; nam si Christianos Italiæ etiam nominavit, id erat ex eo, quod Paganus homo de re christiana parum instructus nescierat, apud solos Episcopos potestatem jurisdictionis Ecclesiasticæ secundum jus posse consistere; quod & Græci ipsi plane sentiunt „. (*Universalis Primatus potestate usi sunt: Sæc. IV. S. Julius I. PP.*) *De S. Julio I. PP.* (*sæc. IV.*) scribit *Socrates Græcus lib. 2. Hist. Eccles. cap. 2.* „ Eodem tempore Paulus
„ Episcopus Constantinopolitanus, Asclepas Gazæ, Mar-
„ cellus Ancyræ, & Julius Hadrianopolis . . . . Ecclesiis
„ suis ejecti apud Romam omnium Civitatum facile Princi-
„ pem versantes, Julium Episcopum Romanum de suo ipso-
„ rum statu certiorem faciunt. Ille vero quoniam Ecclesia
„ Romana Privilegium præter ceteras obtinebat, litteris
„ suis ad Episcopos Orientales liberius præscriptis, illorum
„ partes tueri studuit; in Orientem litteras mittit, quo &
„ suus cuique locus restitueretur &c. „: Eademque habet
Græcus similiter Historicus Sozomenus lib. 3. Hist. Eccles. cap. 7., qui inter alia, tamquam de re in Oriente communissima, ait „ Ac cum propter Sedis dignitatem cura omnium
„ ad ipsum (Pontificem) spectaret, singulis suam Eccle-
„ siam restituit &c. „; (*Liberius etiam PP. eodem sæc.*); *Sæculo* pariter *IV. Eustatius Sebastensis*, a Concilio Melitinensi in Armenia exauctoratus, lectis litteris *Liberii Pontificis* in Concilio Tyarensi in Cappadocia, in Sedem suam restitutus est, de quo *S. Basilius Magnus Epist. 74. ad Occident. Episcopos*. (*Sæc. V. S. Leo PP.*) Documenta plura recenset *Sæc. V.*, nam *S. Leo PP.* Theodoritum in suam Cathedram restituit (*sup. Num. XLII. num. 21. in Theodorito*): (*Nec non S. Cælestinus PP.*) *S. Cælestinus I.* Nestorium Constantinopolitanum Antistitem Christianorum communione,

& Episcopatu privatum fore dixit, nisi, dato decem dierum spatio, errorem deponeret (*Vid. sup. Num. XLIII. num. 3.*); qua de causa *ad S. Cyrillum* scribebat *Pontifex*: „ Quamobrem Nostræ Sedis auctoritate, & vice cum potestate usus, „ ejusmodi non absque exquisita severitate Sententiam exequeris „ : (*Et S. Simplicius PP.*) Nec unum monumentum legere est in vita *S. Simplicii PP.*, inter quæ observandum, quod statim ac ejus electionis nuncius Constantinopolim pervenit, Leo Imperator ab eo impetrare tentavit, ut rata haberet Privilegia ab Episcopis Synodi Chalcedonensis Ecclesiæ Constantinopolitanæ concessa, quod Pontifex, Decessorum suorum Hilarii, & Leonis exemplo, constanter negavit: (*Sæc. VI. S. Agapetus PP.*) *S. Agapetus PP.* (*sæc. VI.*) Anthimum Eutychianum Constantinopolitanæ Sedi incubantem Sacerdotio, & Christiana communione privavit, ejusque loco Mennam constituit, & consecravit (Liberatus in Breviario cap. 21., ac legen. Nicephor. lib. 17. Hist. Eccles. c. 9., & Encyclica ipsius Agapeti ad Petrum Hierosolymitanum Act. I. Conc. Constantinopolitani sub Menna): Cum autem S. hic Pontifex Constantinopolim petiisset, ab omnibus Orientis Episcopis, necnon & Monachis Libellos accepit contra hæreticos Acephalos, in quibus *Patrem Patrum* eum appellabant, atque hæreseos participes ut condemnaret humiliter petebant (*Labb. Tom. V. Concil. pag.* 1067.) (*Saec. VII. Severinus PP.*) *Sæc. VII. Severinus Pontifex Romanus* Ecthesim Heraclii Augusti damnavit, ut testatur *S. Martinus* I. *PP. in Concilio Lateranen.* (*apud Labb. Tom. 6. Concil. pag.* 120.): (*Et Joannes IV. PP.*) Idemque præstitit qui ei immediate successit in Cathedra S. Petri *Joannes IV. in Concilio Romæ habito*, in quo cum Ecthesi errorem Monothelitarum anathematis mucrone confixit: (*Itemque Theodorus I. PP.*) Eodemque decurrente sæculo *Theodorus I. PP.* in locum *Joannis IV.* subrogatus natione Græcus Paulum Episcopum Constantinopolitanum in Romano Concilio damnavit, quo instigante Constans Imperator Edictnm, *Typum* vulgo dictum, promulgavit: (*Ac S. Martinus I. PP.*) Sed *& S. Martinus I. PP. Theodori Successor in celebri Lateranen. Concilio* Monothelitas, Ecthesim Heraclii, ac Typum Constantis diris devovit, unde ab impio Imperatore Constante

tam immania passus est fortis, ac insuperabilis virtutis Sacerdos, ut inter Martyres merito ab Ecclesia fuerit recensitus:(*Nec non S.Sergius I.PP.*)*S. autem Sergius I.PP.* nullis Justiniani II. Augusti precibus, nullis minis perduci potuit, ut Canonibus Synodi Constantinopolitanæ in Trullo celebratæ, quæ *Trullana*, *Quinisexta*, *Erratica* nuncupatur, præberet assensum suum, quem Imperator ideo equidem exquisierat, quia ad ejus firmitatem necessarium esse quisque judicabat (*Sæc. VIII. Constantinus PP.*) *Sæc. VIII. Constantinus PP. Syrus* Imperatoris Philippici Bardanes hæreticam Fidei Professionem missam ad se rejecit; e contrario autem Anastasii II., qui post brevem Philippici tyrannidem Imperator fuerat salutatus, Epistolam, qua Catholicam Fidem profitebatur, libens suscepit, & Michaelem Presbyterum misit Constantinopolim, ut Episcopos, qui Synodi VI. damnationi suffragati fuerant, Ecclesiæ reconciliaret: (*Et S. Gregorius II. PP.*) Quæ gesserit *S. Gregorius II. PP.* erga Leonem Isaurum sacris Imaginibus infensissimum legenda sunt„ penes Zonaram lib. 15. Annal. p. 82. edit. Venet., & „ Sigonium lib. 3. de Regn. Ital. ad ann. 726. p. 120.)„ (*Item S. Gregorius III. PP.*) Eidem Augusto *S. Gregorius III. PP. Syrus* legationibus, Epistolis, Synodis forti animo restitit: (*Stephanus II. PP.*) Damnavit *Stephanus II. PP.* impium Conventum jussu Constantini Copronymi Augusti habitum Constantinopoli contra sacras Imagines: (*Ac Stephanus III. PP.*) Quod & *Stephanus III. PP. egit in Concil. Romæ habito, ex Anastasio Bibliot. in Vita hujus Pontificis* (*Sæc. IX. Summi Pontifices in Causa Photii*). Supremam universalem auctoritatem in Oriente etiam *sæc. IX.* explicarunt Romani Pontifices, Orientalibus Ecclesiis obsequentibus, in damnatione Photii (de qua *sup. in Procem. a num.* 15., *&* *Num. XLIII. sub num.* 8.): (*Saec. X. Joannes X. PP.*) De ineunda pace Orientalis Ecclesiæ cum Occidentali Nicolaus Mysticus Patriarcha Constantinopolitanus, & Constantinus VIII. Græcorum Imperator (*X. saec.*) solliciti, quam turbaverat controversia de Matrimonio quarta vice ab Imperatore Leone Sapiente contracto, non ad alium, quam *ad Joannem X. PP.* dedit ille Epistolas, Augustus vero misit Legatos; qua de re cum Pontifex & ipse Apochrysarios Constantinopolim

direxisset, optata pax reconciliata fuit: (*Saec. XI. Joannes XIX.*) Tentarunt *saecul. XI.* Græci a S. Romana Ecclesia privilegium reportare, ut Ecclesia Constantinopolitana *in suo Orbe, sicut Romana in universo, universalis* dici, & haberi posset; ideoque *ad Romanum Pontificem Joannem XIX.* miserunt, cum ab eo necessario hanc veniam petendam esse intelligerent; sed nequaquam impetrarunt quod volebant. „ Non enim potest falli Summa Veritas, quæ respondit „ „ Portæ inferi non prævalebunt adversus eam„ut ait *Glaber. Rodulphus lib. 4. cap. 1., inter Script. Hist. Francor. Duchesnii Tom. 4. p. 40. 41.*. Hæc omnia acta sunt, antequam opera iniquissimi Cerularii Schisma Photianum reviviscerent; at postquam hujuscemodi contra Catholicam Ecclesiam tempestas facta est, Orientalium cum Occidentalibus communicatio interturbata remansit; resque sacræ infelicissime cesserunt penes Græcos. Quod valde non est mirandum, cum ea ætate non ratio, & decor, sed malevolentia, & rabies, animis perturbatis, & in furorem actis, in Oriente omnia dirigerent. Tunc enim summa cum infimis, divina cum prophanis, recta cum improbis commixta, Christiani licet nomine, non Ecclesiæ dogmata, sed cædes, & sanguinem adversariorum anhelabant, unde factum est, quod bonam deserentes conscientiam, erraverunt a fide: (*Sæc. XII., quamvis admodum turbatis in Oriente rebus, Alexander III. PP.*) Sed nihilominus (*sæc.* XII.) Manuel Comnenus Græcorum Imperator Legatos Beneventum *ad Alexandrum III. PP.* misit, promittens se Ecclesiam Græcam cum Romana juncturum si Corona Imperii Occidentalis ab ipso donaretur, quam postulationem Pontifex (ut inquit *Sigonius lib. 5. Hist. Regni Italiæ*) ex Cardinalium sententia reprobavit. (*Sæc. XIII., & XV. B. Gregorius X. PP. in Generali Synodo Lugdunen. II., & Eugenius IV. PP. in Florentina*). Sæculis autem XIII.; & XV. Imperatores, & Sacri Antistites Græcorum schismati Photiano, & Cerulariano adhærentes, non aliter veniam a Catholica Ecclesia, & cum ea communionem obtinere se posse rati, Romanos Pontifices adierunt, a quibus in duabus jam dictis Generalibus Synodis *Lugdunen.* II., *& Florentina*, ejuratis erroribus, & schismate, ad osculum pacis recepti sunt.

Liquet ex his omnibus consuetudinem Divino Juri consonam ab Ecclesiæ exordio servatam fuisse jugiter, qua in Ecclesia etiam Orientali summam potestatem Romani Pontifices explicarunt.

XLVI. *Quare ex Tertulliano Photius, & Cerularius cum suis; Lutherus, Calvinus &c., aliique Dissidentes a nobis, Ecclesiæ Catholicæ Apostolicam hæreditatem, ejusque possessionem legitimam perturbant*). Quapropter ex hucusque dictis constat ratio propositi nostri; ideoque Photio, ac Cerulario, eorumque sequacibus, nec non & Protestantibus, aliisque Dissidentibus a nobis, tum quoad Dogma, de quo nunc agimus, tum etiam quoad alia dogmata, quæ docet Catholica Romana Ecclesia, & ipsi negant, cum Tertulliano jure, ac merito Romana ipsa Ecclesia dicere potest: „ Qui estis? Quando, & unde venistis? Quid in meo „ agitis non mei? Quo denique . . . . . (*Photi*) jure Sylvam meam cædis? Qua licentia . . . . . (*Cerulari*) fontes meos transvertis? Qua potestate . . . (*Luthere &c.*) „ limites meos commoves? Mea est possessio. Quid hic „ ceteri ad voluntatem vestram seminatis, & pascitis? Mea „ est possessio. Olim possideo; prior possideo: habeo origines firmas ab ipsis Auctoribus, quorum fuit res, Ego „ sum hæres Apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, „ sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo. „ Vos certe exhæredaverunt semper, & abdicaverunt, ut „ extraneos, ut inimicos. Unde autem extranei, & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, „ quam *unusquisque de suo arbitrio* adversus Apostolos aut „ protulit, aut recepit? „ *De Præscript. cap.* 37.

Primatus idem probatur ex Divinis Liturgiis, Officiisque Ecclesiæ Græcæ

XLVII. (*Primatus Summi Pontificis ex Divinis Liturgiis, Officiisque Ecclesiæ Græcæ confirmatur*). *In Meneo ad diem* 11. *Januar. de S. Sylvestro PP.* „ *Princeps Sacri Ordinis, o Pontifex, visus es, & Discipulorum Principis Sedem exornasti.*

In alio de eodem S. Sylvestro ad eamdem diem „ Sacratissimum confirmasti dogma; hæreticorum dogmata Divi-

„ nitatem evertentia rescidens; quippe qui divinus SS. Pa- „ trum *Princeps erat Coriphæus* „; Cujus vim verbi dedimus (*sup. cum de S. Petro Num. XIV. in uno ex Menæis ad diem* XVI. *Janu.*)

In Synaxario ad diem XVIII. *Febru. de S. Leone Magno PP.* „ Oppressit penitus hæreticorum blasphemias , & quo- „ minus propagarentur , impediit, quo tempore Chalcedo- „ ne habebatur IV. Synodus . Tum scripsit , multaque huic „ Synodo tradidit, quibus , quæ recta fides esset , edo- „ cuit, & futurorum hæreticorum discussit errores. Misit „ & Synodo Epistolam, quam SS. Patres omnes susceperunt, „ habueruntque , ut fidei orthodoxæ propugnaculum , pro- „ fessi , voces in ea descriptas ab Ipso Dei ore promanasse. „ Quamobrem , ea recepta sibi conquiescendum putarunt; „ securique illius ope ab hæreticis, eos cum valide op- „ pugnarunt , tum fraudes illorum multipliciter everte- „ runt „. Adverte etiam hoc loco, non posse Dissidentes S. Leonis PP. dogmata & sententias respuere.

In Menæo ad diem XVIII. *Februarii de eodem S. Leone* „ Columnam fidei orthodoxæ , sapientissime Leo, impigre, „ ac strenue Ecclesiæ excitasti , quam illa amplexa , impias „ hæreticorum turbas , & exercitus solvit, ac dissipat „ .

In alio Menæo ad diem itidem XVIII. *Februarii eumdem S. Leonem* ita Græci compellant „ Petri Supremi Principis in „ ea , quam tenuit, Sede hæres, illiusque consecutus men- „ tem , & divinum fidei zelum , jus dixisti . . . . S. Petri „ Successor , & eam possides , quam Petrus habuit præsi- „ dendi dignitatem „.

Die XIV. *Martii S. Gregorium Magnum* cognomine *Dialogum* valde Græci extollunt , ajuntque , ab eo præscriptam sibi ipsis Liturgiam, qua utuntur in Quadragesima diebus jejuniorum, seque eam S. Gregorii legem ad hanc usque ætatem nostram servavisse.

In Menæo VI. *Aprilis de S. Cælestino I. PP.* legitur , hunc S. Pontificem per litteras deposuisse Nestorium, & in damnando hoc hæretico , se B. Cyrillo , sua ei commissa auctoritate , adjunxisse . Quare in sua ad Cyrillum Epistola non scribit , videri sibi anathemati subjiciendum esse Nestorium, sed imperat subjici , & Constantinopolitanæ Sedi provideri.

In Menæo ad diem XIII. *Aprilis de S. Martino PP.* „ Quo „ Te nunc Nomine, Martine, appellabo? Doctrinæ ortho„ doxæ magistrum, & moderatorem gloriosum, sacrum „ divinorum dogmatum Coryphæum, mendacii verissi„ mum sine errore condemnatorem „.

In Menæi Synaxorio ad diem XVII. *Aprilis de S. Martino PP.*; præclara ejus Pontificia in omnem Ecclesiam protestas commendatur.

In eodem ad eamdem diem de S. Agapeto I. PP. dicitur, eum Constantinopolim venisse, processisse illi obviam Imperatorem cum suis, summo honore eum excepisse, ab eo Anthimum hæreticum (Episcopum Trapezuntinum, qui Constantinopolitanam Ecclesiam occupaverat), depositum fuisse, & expulsum, ac Mennam orthodoxum Sacerdotem in Anthimi locum ab eodem S. Pontifice subrogatum.

Quæ *de S. Petro Apostolo* recitantur in Menæo, & exscripsimus (*sup. Num. XIV. ad diem XXX. Junii*) probant etiam, Romam in perpetuum esse Ecclesiæ fundamentum, & fulcimen &c.

In Menæo ad diem XXIV. *Novembris de S. Clemente PP.*: „ Affectuum pertubatione expeditus mentem circa entium „ cognitionem, Clemens SSme, occupasti. Quapropter „ ad hanc Te, primum, & principale Ens attraxit, Petri „ opera Apostolorum Principis, qui te divinis initiavit, „ suumque Te dignum Successorem reliquit. Post quem, „ o Sapientissime, Tu Ecclesiam dirigens, & præclare ad„ ministrans, ad illum, finita per martyrium vita, absces„ sisti, & quasi deus Deo Enti adhaeres „.

(*Pariterque ex Sac. Libris Ecclesiæ Ruthenæ, qui dicuntur MINIÆ*). Habent *Græco Rutheni* Libros, qui dicuntur *Miniæ*, ac distributi sunt in Menses duodecim. In his continentur laudes Sanctorum, quae excerptae sunt ex gestis eorumdem; dispertitæ autem leguntur Laudes illae *in Antiphonas Vespertinas, & Matutinas, & in Odas novem*; Omnis vero Oda continet *Strophas, sive contextus quatuor, quinque, vel sex*. Quibus ad explicationem praemissis, observanda sunt ad rem nostram, utpote asserentia Successionem Romani Supermi Antistitis in Primatum S. Petri, ea, quae sequuntur.

Sæculo II. ineunte, anno scilicet Christi 100., imperante Trajano: *Sub die 25. Novembris in Officio ad Vesperas de S. Clemente PP. Antiphona II.* legitur „ Pater celeberrime, „ tu Petri Principis discipulus fuisti, in petra ejus teipsum „ tamquam Petram venerandam collocasti, virtute verbo„ rum tuorum omnem structuram Idolorum subvertisti, „ Ecclesias vero Dei aedificasti in honorem Trinitatis, pro „ qua pugnasti, & martyrii lauream obtinuisti „.

Eodem die, Oda VIII., *Contextu I.* „ Discipulus fuisti „ Petri, S.Clemens Martyr, imitando ejus divinos mores, „ propterea & Sedis ejus Successor reipsa factus es illumi„ nando omnem Creaturam „.

Sæculo IV. anno 335., *imperante Constantino Magno: Die* 2. *Janu. in Offic. Matutino, Oda* VIII., *Contextu* III. *de S.Sylvestro PP.* „ Supremus Moderator S. Concilii apparui„ sti, Divinorum Consiliari, & Supremi Discipulorum „ condecorasti Sedem psallendo „ Benedicite omnia opera „ Domini Domino „.

Sæculo V. anno 460., *imperante Leone Cæsare: Die* 18. *Febru. in Off. Matutino, Oda I. Contextu* III. *de S. Leone Magno PP.* „ in Petri Principis Thronum successisti, Divine „ Leo, ejus virtutem, & zelum in Te habens „.

Item sub eodem die, Oda VI., Contextu I. „ Petri Sancti „ Successor, & Principatu ejus ditatus, & ferventem obti„ nuit zelum, divinitus de mysteriis fidei scripsit, condem„ nans hæreticorum dogmata „.

Sæculo VII. *anno* 654., *imperante Constantio* II.: *Die* 14. *Aprilis de S.Martino I. PP. in Off. Matutino, Oda* III. *Contextu III.* „ Sancte Confessor, Roma violenter expulse, cir„ cumiisti tamquam Sol, radios emittens, illuminando „ omnes Orthodoxos „.

Eadem die, Oda VIII., *Contextu* III. „ Sancte Martine, „ condecorasti Petri Divinam Sedem, & in hujus Petra Ec„ clesiam immobilem conservasti, & cum eo glorificatus „ extitisti „.

Probatur Primatus in universam Ecclesiam tum S. Petri, tum & Successorum Ejus in Romana Sede ex Traditione, ac Divinis Officiis Ecclesiæ Armeniæ

DE SANCTO PETRO APOSTOLO

XLVIII. (*Fides de suprema Dignitate S. Petri in Armenia a cunabulis retenta est; idque probant scita Patrum, atque Doctorum ipsius Ecclesiæ. 1. S. Gregorii Illuminatoris Apostoli Armeniorum, Episcopi, & M., sæc. IV.*) 1. *S. Gregorius Illuminator Episcopus & Apostolus Magnæ Armeniæ, & Martyr, sæc. IV. in Catechesi apud Agathangelum pag. 197. 198. Edit. Constantinopolitanæ an. 1709.* „ Quorum (discipulo-„ rum Christi), qui primus erat Petrus dixit „ Tu es Filius „ Dei vivi „ propter quod & beatitudinem consecutus est ... „ Atque eum fecit Petram firmamenti omnium Ecclesia-„ rum „.

2. (*S. Jacobi Nisibeni, sæc. IV.*) *S. Jacobi Nisibeni, sæc. IV., dicti S. Gregorii Illuminatoris Amitæ filii* doctrinam retulimus (*sup. Proposit* 1. *num.* II. *sub n.* 8.); eademque ille habet *Serm.* VII. Hic magnæ sanctitatis Episcopus, miraculis, & eruditione clarus unus fuit ex numero Confessorum sub persecutione Maximiani Galerii, atque in Nicæna Synodo Arii damnavit impietatem.

3. (*Isaaci* I. *Parthi Catholici, sæc.* V.) *Isaac* I. *Parthus* (quem colunt inter Sanctos Armenii) *Catholicus, hoc est Primas, sæc. V. ineunte Homil. de Eccles.* „ Quid ergo intel-„ ligendum, quod ad Petrum dictum fuit „ Tu es Petra ? „ „ Numquid velut unus lapidum? Absit. Sed homo ratio-„ nalis, atque Princeps Apostolici Ordinis „.

4. (*Moysis Grammatici Chorenensis, sæc.* V.) *Moyses Grammaticus Chorenensis, sæc.* V. quem itidem Sanctum habent, *Criarum lib.* VIII. *Exempl.* 5. Petrum inducit loquentem „ A „ quo (Christo) deinceps honorificatus fui, primorum fa-„ ctus Princeps *per Primatum* „ ac de eo dicit: „ *Claviger* Re-„ gni Cælorum, fundamentum Ecclesiæ „ cum quo concinit.

5. (*Joannis Mandacunii Catholici, sæc.* V.) *Joannes Mandacunius Armeniorum Catholicus, sæc.* V., quem in Beatis numerant, *in Concione sua apud Pharbensem*.

6. (*Ananiæ Siracunii*, *sæc.* VIII.) *Ananias Siracunius sæc.* VIII. *in Lib. Astronom.* „ Petrus . . . . per præsidialem „ Primatum in Choro Apostolico „ .

7. (*Chosroes Magni, Episcopi, sæc.*X.) *Chosroes Magnus, Episcopus Anzavazenus*, *sæc.*X. *in Comment. Divinor. Officior. pag.*362. „ Apostolorum Caput Petrus claviger Regni Cæ„ lorum . . . qui Petra a Domino nominatus est, & fun„ damentum Ecclesiæ positus fuit „ ; idemque passim nominat Petrum *Caput Apostolorum*, sicut & Romam *Magnum Thronum* (ibidem) .

8. (*Gregorii Narecensis*, *sæc.*X., *vel* XI.) *Gregorius Narecensis*, *ejusdem Chosrois filius*, quem Armenii in Sanctis accensent, *in Præconio Apostolorum* „ Primus prænumeran„ dus, & honorifice præferendus, *Petra firmata*, *& crepido* „ *fundata*, *lapis nominatissimus* . . . electus, & gloria or„ natus *Cephas* .

9. (*Gregorii Magistriani*, *sæc.* XI.) *Gregorius Magistrianus sæc.*XI. *in Epist. ad Abrehim* eamdem tenuit sententiam .

10. (*Isaaci Catholici*, *sæc.*XI.) *Isaac Catholici Magnæ Armeniæ sæc.*XI. verba attulimus (*sup. in Proleg. Num.*XXXII.)

11. (*Niersis* IV. *Clajensis Catholici* , *sæc.* XII.) *Nierses* IV. *Clajensis Catholicus sæc.*XII. *Scinorali* (idest Gratiosus) nuncupatus, quem in Sanctorum catalogo nominant, *lib. Versuum Hisus Verti* (h. e. Jesu Fili) „ *& proprium sibi nomen Petræ* : *Concessit illi* (Petro) „ ibidemque : „ Discipulorum Supremi : Sanctæ fidei immobilis Petræ „ .

12. (*Sarchis*, *seu Sergii Doctoris*, *sæc.*XII.) *Sarchis*, *h. e. Sergius Doctor Mellifluus mox dicti Niersis* IV. *condiscipulus in Præfat. ad Comment.* 1. *Epist. S. Petri*, *in illud*, *Cap.*1. *v.*1. „ *Petrus Apostolus J.C.* „ ; *& in Comment. Epist.*II. *Petri* 1. *v.*1. Majorum hanc prolixius traditionem exponit, elucubratque .

13. (*Niersis Lambronensis Archiepiscopi* , *sæc.* XII.) *Nierses Lambronensis*, *Tarsi in Cilicia Archiepiscopus sæc.*XII. ; quem pariter in Sanctis censent, *in Exposit. Missæ*, *Sermon. de Eccles.* ; & ibi in *illud Zachariæ* III. 9. „ *super lapidem illum septem oculi* „ ; nec non & *in Comment. Ps.* XXVIII. ad illa verba „ *Afferte Domino filios Arietum* „ & ad alia verba „ *Dilectus quemadmodum filius Unicornium* „ dilucide S. Petri

Primatum docet: Ac tandem *in Orat. habita in Concil. Tarsensi pag.26.* ait: „ Ædificaturi autem intelligibile Templum „ Dei, quod fundatum est super Petrum „.

14. (*Joannis Ezengani Doctoris, sæc.*XII.) *Joannes Ezenganus sæc.* XIII. *Doctor, Comment. in Matt. ad cap.*XIII. *v.*24. *& in cap.*XVI. *v.*18. totus est in eadem exponenda doctrina.

15. (*Basilii Doctoris, sæc.*XIV.) *Basilius Doctor sæc.*XIV. *in Comment. S.Matthæi cap.*XIV. *v.* 15. „ Cœnaculum grande est Ecclesia magna, ubi dominicum Pascha paratum „ est: Paterfamilias domus est Petrus Apostolus, cui commisit Dominus domum suam, quo factus est unus Grex, „ unus Pastor, & una Ecclesia „.

Eadem fere repetunt ceteri Armeniorum Doctores sæculorum subsequentium: Nec nobis desunt Ecclesiæ Armeniæ Libri Liturgici, ubique S.Petri Primatum docentes, e quibus pauca hæc subjecta sufficiant.

(*Nec non probant idem: Rituale Armeniorum*) *Rituale Armeniorum Ecclesiæ* (in Armenio idiomata *Masdotz*) *in benedict. Lapidis Fundamenti Ecclesiæ*: „ *Domine Deus noster, qui Nomen Sancti principalis Apostoli Petri vocasti Petram, & super eum* (vel eam) *ædificasti universam Ecclesiam Catholicam* „.

(*Hymnarium*) Hymnarium Arm. Sciaragan) (Deus) „ qui B. Petrum nominasti fieri Supremum electorum Apostolorum classis, Caput S.Fidei, Fundamentum Ecclesiæ. Qui Essentiam ineffabilis Unigeniti superna revelatione Patris profitens beatificam meruit gratiam, Petra „ inexpugnabilis a portis Inferi „; passimque S. Petrus nominatur *Petra Fidei, Petra Ecclesiæ, Caput electi pusilli Gregis &c.*

(*Liber Carminum, & Melodiarum*) *Liber Carminum, & Melodiarum* (Arm. *Canzaran*) „ Petre, & Paule Christianorum gloria . . . quorum unus tu Petra anguli Ecclesiæ positus es, alter super Te ædificabat *homines*„; & infra pluries.

(*Synaxarius*) *Synaxarius, seu Legendarius* (Arm. *Aismavurk*) 22. *Janu.*: „ Apostolus Christi S. Petrus, Petra „ fidei, & Caput S.Ecclesiæ apprehensus ab Herode &c. „.
Similia habentur 29. *Junii*; *Item* 23. *Octobris*: „ *Petrus*

Petra fidei, *& omnium Maximus*, *Vicesgerens Christi &c.* „.

(*Homiliarius*) *Homiliarius* (Arm. *Giarrendir*) *in Vitis SS. Cypriani*, *& Justinæ*: „ Petrum in medium afferebat, Fundamentum, & Canonem Ecclesiæ, atque Claves Cælorum a Christo accipientem „.

DE ROMANO PONTIFICE SUCCESSORE S. PETRI, EJUSQUE PRIMATU.

1. (*Successionem Romanorum Pontificum in S. Petri Primatum adstruunt*: 1. *Zacharias Catholicus*, *sæc.* IX.) *Zacharias Catholicus*, *sæc.* IX. *in illud Luc.* II. *v.* 1. „ *Exiit Edictum a Cæsare Augusto* „ mystico sensu disserens ait; „ Antequam natus esset (Jesus) in Bethelem, terrestrem potestatem defert Romanis . . . Romæ enim Sedem Petri, & Pauli, ac principalitatem S. Ecclesiæ erat conditurus &c. „.

2. (*Nierses* IV., *sæc.* XII.) *Nierses* IV. *sup. memoratus Epist. I. ad Manuelem Comnenum Imperatorem*. „ Imo & accepimus, quod Sanctus, & primus omnium Archiepiscoporum Pontifex Romanus, & Vicarius Petri Apostoli de suis sapientibus delegavit (aliquos) ad agendum coram Sac. Majestatem Vestram de concordia fidei „.

In Carmine autem Elegiaco pro Edessa Urbe ab Infidelibus capta, Romam alloquitur, eamque vocat *Ecclesiam immobilem*, *ædificatam supra Petram Cephæ*, *invincibilem a Portis Inferi*, *Cælum obsignatum reserantem &c.*

(*Guillelmi Archiepiscopi Tyri narratio*). Sæculo XII. ineunte (an. 1137.) Guillelmus Archiepiscopus Tyri, se affuisse narrat Synodo Hierosolymitanæ, in eaque „ Interfuit (sunt verba Guillelmi) maximus Armeniorum Pontifex, imo omnium Episcoporum Cappadociæ, Mediæ, & Persidis, & utriusque Armeniæ Princeps, & Doctor eximius, qui Catholicus dicitur. Cum hoc etiam de fidei articulis, in quibus a nobis dissentire videtur Populus ejus, habitus est tractatus, & ex parte ejus promissa est in multis correctio „ (*Histor. lib.* 15., *cap.* 18.). Elapso biennio, Legati Armeniorum in Italiam profecti, *Eugenio* III., *Ecclesiæque conciliati sunt*. Præsens aderat tunc *Otho Frisingensis Episcopus*, & ille ipse est, qui testatur (*Hi-*

stor. lib.7. cap.32.), quod eo tempore Legati Episcoporum Armeniorum, eorumque Metropolitani, seu Catholici, cui suberat magnus Episcoporum numerus; *ab ultimo pene Oriente Summum Pontificem Viterbii, laboriosum iter per annum, & sex menses complentes*, adierunt. Venerunt ad Romanum Pontificem Armenii isti, ut audirent Sapientiam Salomonis, hoc est rectæ fidei documenta, ac reciperent. Horum Majorum suorum exempla, fac Deus, ut imitentur posteri.

3. (*Leo Rex Armeniorum, sæc.* XII.) *Leo Princeps, qui primus fuit Armeniorum Rex in Cilicia sæc.*XII. *ad Summum Pontificem Innocentium* III. dedit Epistolam, cujus Inscriptio. „ *Leo Armeniorum Rex Rmo in Christo Patri, & Domino Innocentio, Dei gratia Summo Pontifici, & Universali Papæ tanto, ac tali honore dignissimo*„ (*inter Epist. Innocentii* III. *Lib.*II. *Epist.*208.).

Huic Principi, acceptis ab eo etiam Oratoribus, Coronam, & Vexillum S.Petri misit Pontifex, eidemque concessit, ut, præter Romanum Pontificem, nullus Latinus in ipsius Majestatem, vel Regnum, vel homines Regni sive Latinos, sive alios cujuscumque conditionis, excommunicationis, & interdicti posset Sententiam promulgare (*Epist. Innoc.*43. *lib.*5.). Oh quam strictum, & indivulsum, itemque suavissimum gluten Romanos inter Pontifices, & Armeniam Ecclesiam nusquam dissociandum! Utinam qui a parte nostra non sunt, a fide data non defecissent!

4. (*Gregorius* VI. *Abirad Catholicus, sæc.* XII.). Duas etiam misit ad eumdem Papam litteras *Gregorius* VI. *Abirad* Armeniorum Catholicus, in quarum prima eum vocat *Caput Catholicæ Ecclesiæ Romanæ Matris omnium Ecclesiarum;* Se autem appellat Filium ejusdem S. Ecclesiæ, *quæ est fundamentum legis totius Christianitatis* (*inter Innoc.Epistolas lib.*2. *Epist.*206.). In altera vero tam suo Nomine data, quam omnium Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Sacerdotum, Clericorumque sub suo regimine viventium magnificentissime de Pontifice scribit, eumque vocat *Successorem B.Petri, Summum totius Ecclesiæ Caput, ac Papam universalem* (*loc. cit. lib.*5. *Epist.*45.).

(*Legatio Regis Armeniorum, sæc.*XIV.) *Sæculo* XIV. *Of-*

ficinus Armeniæ Rex antiquam Ecclesiæ suæ cum Romano Pontifice necessitudinem innovavit, missis *ad Joan.* XXII. *Papam* Legatis, qui ad trutinam vocata eorum fide, unius eorum maxime, qui Episcopus eorum erat, orthodoxam judicavit. Idemque Pontifex cum Archiepiscopali potestate in Armeniam misit sanctitate, & doctrina eximium Virum *Bonaventuram Parvum* (*le petit*) Bononiensem ex inclyto Ordine Frr. Prædicatorum: „ A quo tempore (inquit Spondanus ad an. 1318.) Provincia illa, quam ipse (Bonaventura) potissimum excoluit, ducibus FF. Prædicatoribus in fide, & Religione Catholica hactenus perseverans, id etiam, ipso præcipiente, observavit, ut ipsius Catholicus confirmationem electionis suæ a Romano Pontifice deposcere solicitus, solitusque fuerit „. Quare cum *Benedictus* XII. *anno* 1341., *&* *Clemens* VI. *anno* 1351. *Romani Pontifices* suspectam aliquandiu fidem habuissent Armeniorum, has Rex, & Patriarcha suspiciones, scriptis ad Eos litteris, quas legere est *apud Raynaldum*, ex quo hæc deprompta sunt, penitus absterserunt.

Præclarissima sunt etiam ea, quæ professi sunt de Primatu Summi Romani Antistitis in Universa Ecclesia (quæ studio brevitatis exscribere per extensum omittimus) Catholici, & Doctores plurimi Armeniorum: Nempe.

5. (*Concilium Sisense* VI., *sæc.*XIV.) *Concilium Catholici Mechitaris* h. e. *Sisense* VI. *anni* 1342. „ secundum jura Canonica, & Civilia Successores habent auctoritatem Prædecessorum suorum. Papa autem est Successor Apostoli Petri . . . & habet auctoritatem ejus . . . Ideo Catholicon Armeniorum, & alii Patriarchæ sub potestate ejus sunt &c. „ (SS. Concilia Nov. Collect. To. XXVI. pag. 1256. Respons. ad Art. 84.; eademque ad Art. 96. pag. 1259.).

6. (*Apocrisarii Catholici Armeniorum*, *sæc.* XV.) Constat etiam, *anno* 1439. Apocrisarios Catholici Armeniorum Florentiam pervenisse, in qua *Eugenius* IV. *Pontifex* tunc morabatur, quærentes Unionem cum ipso, & Romana Ecclesia. Paterna sollicitudine Eugenius negocium gravissimum egit; ac tandem eos, *dato Decreto decimo Kalendas Decembris dicti anni* ad ipsorum instructionem, quod incipit „ *Exul-*

tate Deo adjutori nostro ,, , in societatem Romanæ Ecclesiæ recepit summa totius Ecclesiæ lætitia.

7. (*Michael Armeniorum Patriarcha* , *sæc.* XVI.) *Michaelis Armeniorum Patriarchæ* (*h. e. Catholici*) *Internuntius sub sa. me. Pio* IV. Romam venit nomine ipsius Michaelis, Archiepiscoporum, & totius Nationis, deosculans pedes SSmi Pontificis ,, *qui vere Petrus est* ,, inquiens; & afferens Epistolas obedientiæ Patriarchæ. Professionem etiam fidei emisit, in qua inter alia: ,, Tu quidem quatuor partium ,, Mundi Pontifex Maximus es . . . . Per doctrinam S.Gre- ,, gorii Patriarchæ Nostri credimus quicquid Sancta Catho- ,, lica, & Apostolica Ecclesia credit, & quicquid ipsa ana- ,, thematizat, nos quoque anathematizamus . . . Primum ,, quidemPatriarchamNostrum fuisse dicimus S.Gregorium,, (nempe *Illuminatorem* , cujus hic supra retulimus sententiam, ,, qui primus venit Urbem Romam, quem S.Sylve- ,, ster benedixit, & consecravit tempore Constantini, & ,, Regis Nostri Tiridatis . . . . Qui autem ex Nobis non ,, confitetur Sedem Petri esse majorem, & Dominum Ponti- ,, ficem Romanum Caput, & Patrem esse totius Mundi, ,, claviumque possessorem, is & Evangelia, & Hierusa- ,, lem, & sedem Gregorianam Eccimiazin ,, (quam S.Gregorius Illuminator sanctificavit) ,, negat ,, (apud Odoricum Raynald. Annal.Baron. Continuat. ad annum 1564. num.51. et 52. Tom.XV. edit. Lucen. p.524. et 526.).

8. (*Jacobus IV. Giulbajensis Catholicus Sec. XVII.*) *Jacobus IV. Giulbajensis Catholicus Armeniorum an.* 1680. supremum diem obiturus Constantinopoli, concinentem fecit Fidei Professionem.

9. (*Nababied Catholicus sæc. XVII.*) *Nababied pariter Catholicus anno Domini 1695. ad S. M. Innocentium XII.* litteras direxit, aliasque *anno* 1699. similia referentes præclarissime.

10. (*Menas Amidanus Archiepiscopus sæc. XVII.*) Quæ etiam *Menas Amidanus* , *Archiepiscopus Eudocensis* , *Hierosolymis Patriarcha Armeniorum* , repetit *in Epist. ad eumdem S. M. Innoc. XII. anni 1699.*

11. (*Simeon Catholicus sæc. XVII.*) Nec non & *in suis ad eumdem Pontificem datis anno 1695. Simeon Catholicus Ar-*

meniorum in Albanorum regione commorantium, Sciamathi scilicet, *& Gangiæ &c.*

(*Nomocanon, sive Jus Ecclesiasticum Armeniacum sæc. XII. & XIII.*) *In Nomocanone, sive Jure Ecclesiastico Armeniaco*, cujus Auctor fuit *Mechitar Conscius Canzacenus*, Doctor, *sæc. XII. labente, ac XIII. ineunte*, adjuvantibus illum aliis Armeniorum Doctoribus Jurisperitis, *Cap.* 225., enumerata Cœlesti Hierarchia Angelorum, reducitur Hierarchia Ecclesiæ ad Novem Ordines, quorum postremus, h. e. IX. „ Chorus omnium Supremus Papius, vel (ut aliud exem- „ plar) Francus (i. e. Latinus, sive Europæus) Papa, „ Cherubim habens similitudinem, cujus est Regum Or- „ dines instituere. „

(*Synaxarium*) Adeamus paucis nunc Liturgicos libros. Universam Armeniæ Nationis persuasionem de Suprema Sedis Apostolicæ in Ecclesia potestate probant ea, quæ narrantur in *Synaxario ad diem XXIV. Maii*.

(*Vitæ SS. Patrum*) *In vitis SS. Patrum Edit. Constantinopolitanæ Cap. XVI. pag.* 350. similiter asseritur, qnod Romanus Pontifex sit *Dominus, & Caput eorum omnium*, h. e. trium Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni, & Hierosolymitani.

(*Hymnarium*) *Hymnarium in Hymno de Ecclesia* canit „ Salvum fac filium Servi tui, quem per Romanam Se- „ dem honore auxisti, ubi posuerunt Petram *Fidei*, *&* „ *Fundamenti S. Ecclesiæ* „

(*Gregorii IV. Catholici sæc. XII. sententia*) Sapientissime idcirco *Gregorius IV. Catholicus in Epist. Synod. ad Imperatorem Manuelem Comnenum*: „ Non refugimus a divini- „ tus pronunciatis verbis SS. Patrum, qui orthodoxæ fidei „ professionem tradiderunt S. Ecclesiæ; sed illis consenti- „ mus, *prout accepistis, & in Ecclesiis nostris prædicamus*; „ atque super eam consolidata stat totius Armeniæ S. Ec- „ clesiæ Christi plenitudo „

Rucurrant hoc loco ea, quæ præloquuti sumus post relata *Officia Græcæ Ecclesiæ ad Primatum S. Petri asserendum* (*sup. sub Num. XIV.*)

De Unionibus Nationum Orientis, & Africæ cum Ecclesia Romana.

XLIX. (*Nationes Orientis, & Africæ pluries ad S. Romanam Sedem accesserunt: Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus Summo Pontifici Gregorio XIII. præclarissime adhæsit*) *Anno* 1582. *Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus*, damnatis, proscriptisque omnibus, quæ nuperi hæretici in fide novaverant, admisit reformatum a Gregorio XIII. PP. Calendarium, & a Græcis, Ruthenisque admittendum in se recepit. Hunc si in potestate sua habere potuisset Pontifex, in Cardinalium Collegium adoptare decreverat (*V. Spond. ad ann.* 1582. *n.* 18.).

(*S. Sedi Apostolicæ coagmentati sunt*: *Bulgari*) Nec prætereamus alias Orientales Nationes, Africanasque. *Bulgaros* ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam revocavit *Summus Pontifex Innocentius* III., missa ad Joannitium, seu Calojohannem Bulgarorum Regem Legatione, scriptisque amantissimis litteris. Maxima cum reverentia utrasque suscepit Princeps ille, ac humilem obedientiam Sedi Apostolicæ professus, se, ac Regnum suum Romano Sacro Principatui subjecit. Quapropter Legatum alium Apostolicum in Bulgariam misit Innocentius, qui Coronam, Sceptrum, atque Vexillum S. Petri Regi, suo nomine, offerret, eumque auctoritate Apostolica inungeret, ac coronaret. Trinovitanum etiam Archiepiscopum totius Bulgariæ, & Blaciæ, Primatem constituit, magnisque adauxit privilegiis. Trinovitanus iste Primas, & alii duo Archiepiscopi recens creati Pallio donati sunt, cum fidelitatis, & obedientiæ Sacramentum B. Petro, Sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Sedi, Innocentio PP., & Ejus Successoribus jurassent. „ (Le„ gen. Epist. 266. lib. 2. 115. 116. 117. 119. lib. 5. & Gesta „ Innoc. III. a cap. 65. ad 78.) „

(*Maronitæ*) Testatur *Guillelmus Tyrius*, qui floruit *sæc. XII.* (*Hist. lib.* 22. *cap.* 8.), ætate sua *Maronitas* in fidem, & unitatem Ecclesiæ Catholicæ Romanæ restitutos fuisse, ejuratis erroribus suis pristinis: „ Ad Ecclesiam „ rediere Catholicam una cum Patriarcha suo, & Episco„ pis nonnullis „. Testis ejusdem rei etiam „ Jacobus de

„ Vitriaco Acconensis Episcopus in Palaestina, tum dein„ de Hierosolymitanus Patriarcha, & S. R. E. Cardinalis, „ Episcopusque Tusculanus Sæculi XIII.„ qui Maronitas tum ait religiosissime se addixisse moribus, ritibusque sacris Ecclesiæ Romanæ, & eorum Patriarcham *Lateranensi IV. Concilio Oecumenico sub Innocentio* III. adfuisse. Cum lapsu temporis Maronitæ implicati essent nonnullis erroribus, & ab Ecclesia Romana pene abalienati, *Anno Christi* 1445. *Summus Pontifex Eugenius IV.* Andream Archiepiscopum Colocensem in Hungaria ablegavit Cyprum, & ab illis fidei confessionem expressit prorsus catholicam (*Raynald. ad an.*1524. *n.*87. *sequen.*). Sed & *eodem an.* 1445. (*unaque Metropolitanus Chaldæorum Cypri*) *Timothæus Tarsensis Archiepiscopus, Metropolitanus Chaldæorum, qui in Cypro versabantur; & Isaac Eliæ Maronitarum Episcopi Nuncius* Romam cum pervenissent, gentis utriusque nomine, *in solemni Sessione Lateranensis Concilii habita* 7. *Kalendas Augusti fidem Catholicam professi sunt*, damnatis Nestorii, Eutychetis, & Monothelitarum, quibus antea imbuti erant, erroribus, & Spiritus Sancti Processione a Patre, & Filio, nec non Romanæ Ecclesiæ, & Summi Pontificis Primatu approbatis.„ (Viden. Pontificiæ Litteræ in Actis Concilii „ Florent. ab Honorio Justiniano collectis Par. 3.)„ *Anno* 1469. *Paulus II. PP.* postulanti Maronitarum Patriarcha fidei Catholicæ expositionem enucleatam amplius, accuratissimam misit. *Leo X. Pontifex Summus* Evangelicos præcones ad Maronitas dedit ex Ordine S. Francisci, qui Catholici dogmatis addiscendi aviditatem cum primis, & docilitatem in populis, nec non ad S. Sedis obsequia eorum proclivitatem non potuere non admirari. Ergo, biennio post Patriarchæ Legati *Conc. Lateranen. V. Oecumenico* interfuerunt, & Catholicæ Romanæ fidei palam edidere confessionem (*Viden. Raynald. ad ann.* 1516. *num.* 79.). Litteris Apostolicis *Clemens VII. PP.* Patriarcham Maronitarum commonefecit, ut illam constantissime tueretur, ac coleret Romanam communionem, quam ejus Majores cupide amplexati fuerunt sub *Innoc.* III., *& Eugenio* IV. (*Spond. ad ann.* 1577. 1580.); quod ipsum Commonitorium in Græcos hodie Dissidentes libentissime revolvimus. Postremo

denique *Gregorius* XIII., & *Clemens* VIII. Ecclesias hujus Gentis cum prima earum Sede rursum strictissime devinxerunt. Indultum etiam eis est, ut sacras preces, Officiaque Divina celebrarent Chaldaica, hoc est, Syriaca lingua.

(*Jacobitæ*) *Jacobitæ* etiam *anno* 1441. *a Summo Pontifice Eugenio IV.* suscepti; cumque ejurassent ipsi Monothelitarum hæresim, qua ab Heraclii Imperatoris temporibus erant infecti, in gremium S. Catholicæ Romanæ Ecclesiæ recepti sunt, datis a Pontifice „ Unionis litteris incipien. „ Cantate Domino „, Florentiæ in publica Sessione Syno- „ dali pridie Nonas Februarii ejusdem anni „ *Gregorio deinde* XIII. ad S. Petri Cathedram assumpto, *Patriarcha Jacobitarum Neemen* Romanæ Sedi obnoxium se, conjunctumque profitebatur, sed postea persecutionis causa in perfidiam priorem præceps actus, Romam tandem profectus ipse est, ubi pristinos recantavit errores, & a laqueis spiritualibus absolutus est, in quo apostasia sua incurrerat (*Spondan. ad annum* 1577.)

(*Cophti*) Jacobitis conjungendi sunt *Cophti*, qui sub Alexandrini Patriarchæ potestate in Ægypto maxime degunt; Patriarchæ, inquam, non tamen germani SS. Athanasii, Cyrillique Successoris, bene vero illegitimi illius Sedis Antistitis. Indubitatissimum est enim, exauthorato per Chalcedonensis Concilii Patres *Dioscoro*, suffectum ei fuisse *Proterium*, cujus in locum deinde successere Catholicæ fidei retinentissimi Patriarchæ Græci. Cophti autem, de quibus loquimur, Jacobitæ sunt, Eutychianorum cœno obvoluti. Inter Jacobitas, qui *anno* 1441. *ab Eugenio IV.* in Catholicam communionem recepti sunt, ut hic proxime diximus, erat etiam *Joannes Alexandrinus Cophtorum Jacobitarum Patriarcha*; Cophtos item, missis in Ægyptum Oratoribus, datisque ad eorum Patriarcham litteris, erudivit *S. M. Gregorius* XIII., qui in Cathedram Petri ascendit *anno* 1572., & ad Ecclesiam Romanam colendam adduxit. *Anno* 1595. *Gabriel Patriarcha*, & *Chorepiscopus Cophtorum Alexandrinorum ad Clementem* VIII. Romam proficisci jussit Archidiaconum Ecclesiæ suæ cum duobus Monachis (quos Summus Pontifex benignissime suscepit), qui omnium

nomine fidei Catholicæ professionem ediderunt, & obedientiam Summo Romano Antistiti præstiterunt.

(*Abyssini, seu Ætyopes*) His attexendi sunt etiam *Abyssini, seu Æthiopes*. A Cophto namque Alexandriæ Patriarcha confirmationem accipit, qui dicitur *Abuna* Patriarcha Abyssinorum, quorum Imperium per Æthiopiam, aliasque vastas regiones protenditur. *Anno* 1442., quo *Eugenius IV. Concilium ex Florentia Romam in Basilicam Lateranensem transtulit*, adventarunt Romam Legati Æthiopum, seu Abyssinorum Imperatoris nomine *Constantini*, cognomine *Zerab Jacob*, idest *Semen Jacob*, qui ad suscipiendam Catholicam fidem invitatus fuerat. Legati nomine Principis promptam Summo Pontifici obedientiam præstiterunt, & cum Ecclesia Romana (cujus in omnibus fidem lubentissime amplectabantur) una cum subditis sibi Populis unionem suppliciter expetierunt. Hos plenius instructos ad Romanæ Communionis societatem adscivit *Eugenius*. *Anno* 1482. alia legatione Æthiopes *Sixtum IV.* venerati sunt. (*Raynaldus*). *Anno* 1533. Alvares, qui ab æleemosynis erat Joanni Regi Portugalliæ, Romam venit, Æthiopumque Imperatoris legatione perfunctus est, cujus & Epistolas Pontifici reddidit una cum professione obedientiæ, fideique Catholicæ Romanæ confessione. Hoc unitatis fœdus firmatum fuerat *anno* 1524. *a Davide Æthiopum Principe*, scriptis *ad Clementem VII. PP.* Epistolis, quæ nonnisi *anno* 1533. Romam perlatæ sunt (*Spondan. ad an.* 1524. *num.* 15. 1533. *num.* 1., 1555. *num.* 15.) *Anno* deinde 1600. Seltanus Æthiopum Imperator se, Regnumque suum omne Catholico gregi, Pontificiæque unitati reddidit, quod tamen numeris omnibus perfici, absolvique non potuit nisi Petri Sedem implente *Urbano* VIII. (*Spondan. post an.* 1600.). Ejuratis enim Dioscori, Eutychetis, aliisque ab Ecclesia proscriptis erroribus, suam obedientiam declaravit his verbis „Nos „ ipsos, & universum Imperium nostrum ante SSmi D. N. „ Urbani Divina Providentia PP. VIII. pedes, & Romanæ „ Ecclesiæ perpetuo subjicimus „

(*Reges Congi*) Hic idem Pontifex Urbanus a *Regibus Congi* per Oratorem Joannem Baptistam Vives solemne Christianæ obedientiæ sacramentum accepit.

(*Mosulenses , seu Seleucienses Chaldæi Patriarchæ*) *Mosulensis , sive Seleuciensis Chaldæus Patriarcha* , cui parebant plurimi Archiepiscopi , & Episcopi (quæ gens , & Antistites Nestorii erroribus adhærebant) *Simon Siud , sive Sulaka* dictus , Ordinis S. Pachomii *sub Julio III. PP.* Romam petiit , *ubi anno* 1552 , , abdicatis erroribus pristinis , in Patriarcham confirmatus , Pallioque donatus est . In Professione autem fidei , quam ore , & scripto professus est Romæ , hæc inter alia habentur ,, Veneramur quoque , & exaltamus Ecclesiam Romanam , & Caput ejus Papam Sanctum . Nam ,, ita habetur in libris nostris , quod Sacerdotium nostrum ,, ex ista Ecclesia Romana sit ; ac propterea venimus ad accipiendum fermentum a vobis , sicut scriptum est in Epistola nostra ,,

Ejus Successor *Abdiesu* ejusdem Ordinis Monachus *a Pio IV.* confirmatus Tridentinæ Synodo interfuit .

Elias deinde *Patriarcha Mosulensis* gemina legatione coluit , adiitque *Paulum V. PP.* , quarum prima tamen irrita cecidit , quod Nestorianam suæ gentis doctrinam indomita tueretur pertinacia , & a Romana etiam fide non distare contenderet , nisi quadam vocum discrepantia . Ast nihilominus Romanæ Sedi lubentissime subjici se Patriarcha profitebatur , imo & Babylonicam Patriarchalem Sedem a Petro , Petrique Successoribus fundatam fuisse affirmabat . Posterioris autem Legationis auspicatior fuit exitus , *misso Archidiacono , eoque Archimandrita Adamo* , jussoque non obedientiam tantum profiteri Patriarchæ nomine , sed & fidei confessionem Romano examini , & Pontificis censuræ subjicere : ,, Ex præcepto Papæ , & ex Concilio Ecclesiæ ,, Romanæ erecta est Sedes Babylonis , & ita invenitur ,, scriptum apud nos in Annalibus ; quod videlicet Patres ,, Orientales Romæ ordinabantur . Propter hæc vocata est ,, Sedes Babylonis quinta ,, . Excerpta sunt hæc *e Paulo Strozza , qui Paulo V. a Secretis erat , & cujus Commentarios cum authenticis litteris Bzovius in Annales conjecit ad annum* 1330.

(*Georgiani*) *Georgianorum Rex Constantinus anno* 1496. unum ex Monachis S. Basilii ad Alexandrum VI. PP. legavit , qui obedientiæ professionem faceret , subscriberetque

Ecclesiarum Concordiæ, quæ in Florentina Synodo elaborata, promulgataque fuerat. „ (Viden. Vincent. Bellovacen. Spec. Hist. lib.30. cap. 96., & Raynald. ad an.1496. num.21.)

(*Syri, & Mesopotameni*) *Syros, ac Mosopotamenos*, quorum *Patriarcha*, *Abdalam Edessenum Archiepiscopum* suo, totiusque Orientis nomine in Urbem miserat incorruptæ fidei regulam ab Ecclesia Romana petiturum, in ejusdem Ecclesiæ gremium recepit *Eugenius IV. PP. in Synodo Lateranensi* (cum fidei professionem secundum Formulam ab ipso Summo Pontifice sibi traditam edidisset, damnatis erroribus de Processione Spiritus Sancti a solo Patre, & de una in Christo natura, & voluntate, suo, & Patriarchæ, totiusque Nationis nomine) *pridie Kalendas Octobris anno* 1444., ut docet *Instrumentum ea de re editum, quod tertia Parte Actorum Concil. Florentini ab Honorio Justiniano collectorum legere est*.

(*Armenii*) *Armenii*, de quibus *supra* (*Num.* XLVIII. : „ *De Romano Pontifice* „ *sub num.* 2. §.Seculo XII.)

(*Moschovitæ*) *De Moschovitis*, seu *Moschis*, aut *Ruthenis*, seu *Rossis* infra, Deo adjuvante, *in singulari Appendice*.

(*S.M. Eugenius IV. PP. totum fere Orientem, nec parvam Septentrionis portionem cum S. R. E. convenisse testatus est*) Lætatus merito est *Eugenius ipse* IV. videns tot Nationes venientes ad unum Ovile, ad unumque Pastorem, proindeque in mystico Christi Corpore adimpletam Prophetiam, quæ dicit : „ Et venient ad te curvi filii eorum, „ qui humiliaverunt te; & adorabunt vestigia pedum tuo„ rum omnes, qui detrahebant tibi, & vocabunt te Civi„ tatem Domini, Sion Sancti Israel „ (*Isaj.* 60. 14.). Quare *in suo Decreto pro reconciliatione Jacobitarum dato pridie Non. Februar. anni* 1441. ait : „ Unde actum est, ut totus „ fere Oriens, qui gloriosum Christi Nomen adorat, ac „ non parva Septentrionis portio, post longa dissidia cum „ Sancta Romana Ecclesia in eodem fidei, & charitatis vin„ culo convenerint, primum Græci, & hi, qui subsunt „ quatuor Patriarchalibus Sedibus „ (quæ ob unionem ad pristinum suum redierunt honorem) „ multas gentes, na-

„ tionesque, & idiomata continentibus; deinde Armenii „ multorum populorum gens; hodie vero Jacobini, seu Ja- „ cobitæ; magni etiam per Ægyptum Populi, S. Sedi Apo- „ stolicæ uniti sunt „. De Æthiopum, Syrorum, Chaldæorum, & Maronitarum unione nullam in hocce Decreto mentionem facit Summus Pontifex, quia dein in Ecclesiæ concordiam rediere. Lætabitur etiam nunc Summus Pontifex, lætabimur & nos, sicuti spes nostra in Deo reposita est in sinu nostro, de reconciliatione Nationum omnium cum eadem Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia. *Mementote*, igitur quotquot statis contra nos, *præpositorum* (& Majorum) *vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei*, (& exemplis suis vos docuerunt), *quorum intuentes exitum conversationis, imitemini fidem. Jesus Christus heri, & hodie; ipse & in sæcula. Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci* „ (*Hæbr.* 13. 7. *seqq.*)

Congeri etiam possent longe plura *Unionum* exempla cum Ecclesia Romana, ubi Populi a Catholica communione jamdiu extorres in eam revocatæ sunt. Verumtamen, quæ retulimus abunde sufficiunt ad nostri scopum instituti. (*Accessiones hujuscemodi ad S. Sedem conspirantes demonstrant, Nationes omnes cognovisse necessitatem Unionis cum Romano Pontifice in fide, & communione cum nemo ab ea segregatus possit esse Catholicus*) Tam multæ temporibus diversis, tam multorum, variorumque Orbis Populorum accessiones ad Romanam Ecclesiam conspirant, ut liquido demonstrent, pro certo habuisse *omnes, semper, & ubique*; quod Catholicus esse nemo possit, nisi eamdem cum Romano Pontifice fidem teneat, & Ipsi communionis vinculo inhæreat.

Respondetur iis, quæ objiciuntur.

L. (*Respondetur objectis*) Post hæc omnia, quæ dogma Primatus Romani Pontificis mire illustrant, invicte probant; quid est quod, non sapienter dicam, sed rationabiliter objici possit? Nihilominus, ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo, nec sophismatum fascinatione quis illudatur, dissipabimus sparsam ab aliquibus

caliginem, atque offusas noctis tenebras discutiemus luce veritatis. Paucis tamen rem expedire sat est, quoniam si mente simplici, & integra, nec vetustissimis praeoccupata erroribus quod verum est invenire quis cupiat (quod omnes debent, ne in varios errores incidant, & in laqueum diaboli), absque dubio ex iis, quae a nobis dicta sunt, videbit, facili negocio dissolvi posse quaecumque ex adverso afferantur.

(*Textus Apostoli Ephes.*4., *& I. Corinth.*12. *explicantur*) Dicunt Dissidentes, quod *Apostolus Paulus ad Ephes.* 4.11. varios recenset gradus, qui Ecclesiam ornant: „ Ipse (Jesus) dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem „ Prophetas &c. „ quibus verbis similia sunt quae dixit *I. Cor.* 12.18. „ Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas &c. „; nullo autem modo meminit Summi unius Capitis cum potestate suprema. At vero iis in locis (quemadmodum ea sine diminutione legentibus a primo usque ad ultimum numerum, manifestum fit) de Ecclesiastica Hierarchia non loquitur Apostolus, cujus gradus perseveraverunt jugiter, atque indefectibiliter perseverabunt in Domo Dei donec Ipsa stabit; sed agit tantummodo *de Charismatibus*, quibus in cunabulis suis a Spiritu Sancto Ecclesia dispositione sapientissima ornabatur, quorum quaedam desierunt; ex. gr. genera linguarum, interpretationes sermonum. Attamen Apostolos nominat, quorum Caput Supremum Petrus, cui Christus Primatum contulit transfundendum in Successores ejus ad finem usque saeculorum, quemadmodum a nobis probatum est. Et sane *S. Paulus l. c. ad Ephes.* 4.4. „ Unum „ Corpus, ait, unus Spiritus &c. „; numquid sine Capite Corpus; sine voluntate, quae primas obtinet, Spiritus? (Viden. sup. Num. IX., & Num. XLII. num. 45. in S. Thoma; & infr. in Append. I. Num. XXII., & XXIII., & II. Cap.I. ante med.)

(*Nihil conficitur adversus Primatum Summi Pontificis ex S. Cypriano*) *S. Cyprianus* scribebat quidem in *Epistola ad Quintum* „ Neque enim quisquam nostrum „ Episcoporum „ se Episcopum constituit „; sed de Africanis tantummodo loquebatur Episcopis, qui in Concilio Carthaginiensi

congregati quæstionem de rebaptizandis hæreticis agitabant, ut Epistolam legentem liquet, in qua hæc verba inveniuntur „ superest, ut de hac ipsa re singuli quid sentia„ mus proferamus, neminem judicantes, aut jure Com„ munionis aliquem si diversa senserit, amoventes. Neque „ enim &c. „ ut hic supra. Aliunde notum est, S.Cyprianum in S. Stephanum PP. occasione hujusmet quæstionis irritatum, nonnulla contra eum protulisse, quorum deinde maculam proprio sanguine per Martyrium redemit; de quo videndus *S.August. lib.5. con. Donatist. cap.25.* Quapropter in verbis S.Cypriani, quæ tunc ipse in æstu spiritus protulit, immorandum non est, sed potius in aliis, quæ in pace scripsit, & quibus suam exposuit sententiam de Romani Pontificis summa potestate in Ecclesiam, quod certe *præstitit in Epist. 67. ad S. Stephanum I. PP.*, nec non *& in aliis locis a nobis relatis (Num. XLII. n. 3. in S. Cypriano)*.

Equidem ejusdem S.Cypriani *Epist.68. data ad Clerum, & Plebem Asturicensem* a Dissidentibus opponitur. Etenim cum Basilides Asturicæ in Hispania Episcopus idolatriæ libello se polluisset, sententia Comprovincialium Episcoporum depositus est, & Sabinus in locum ejus ordinatus. Stephanum PP. Basilides appellavit, a quo repositus est in Episcopatum. Ea de re Cyprianus scripsit, non potuisse rescindi Sabini ordinationem *jure perfectam*. Verum non ob defectum potestatis in Summo Pontifice id asseruit S.Doctor, sed quod Pontificem fefellisset Basilides, qua obreptione, aut subreptione nulla eo ipso reddebatur in ejus favorem lata restitutionis Sententia, cum *mendax Precator careat impetratis*, ut habet *Justinianæus Codex lib.I. Tit.25.* „ Nec re„ scindere (ajebat Cyprianus) ordinationem jure perfectam „ potest, quod Basilides post crimina sua detecta, & con„ scientiam etiam propria confessione nudatam, Romam „ pergens Stephanum Collegam nostrum longe positum, „ & gestæ rei, ac tacitæ veritatis ignarum fefellit &c: „.

(Nec ex illorum SS. Patrum dictis, qui asserunt, Episcopos Successores esse Apostolorum). Quod *SS. Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Gregorius Magnus*, & si qui alii, affirmant, Episcopos Successores esse Apostolorum, & nos

concedimus, dummodo de Episcopali munere, de quo illi Patres loquuti sunt, non autem de Apostolico, successio ista intelligatur. Enim vero duplex in Apostolis spectanda dignitas est, una cum plenitudine potestatis ratione Apostolatus, quæ quidem in Petro ordinaria fuit, proinde tota in Successores Romanos Pontifices transmittenda, in ceteris vero Apostolis extraordinaria, ipsornm Personis concessa: Altera autem Episcopalis, secluso Apostolatu, & plenitudine potestatis, quæ transfusa est in Episcopos Sedis Apostolicæ communionem habentes, cum subordinatione tamen, ac debito obedientiæ ipsi Romano Pontifici. Episcopi enim, hac retenta inferioritate, & dependentia ab Ecclesiæ Capite, portionis sibi assignatæ gregis Dominici, non autem totius Ecclesiæ Pastores sunt „ Pascite qui *in vobis* est gregem Dei „ *Petrus* dicebat (1. *Petr.* 5.), non autem universum, qui in Orbe est, gregem Dei. De Episcopali culmine loquebantur Patres memorati dum de Episcopis locum Apostolorum tenentibus verba faciebant. Ac revera *SS. Cyprianus*, *Augustinus*, *Chrysostomus*, *ac reliqui Patres* munere Episcopali fungentes, intra fines Diæcesum suarum potestatis usum continuere, ac nefas duxerunt in Collegarum patrimonium involare; quod expresse docebant *Cyprianus in paullo ante a nobis allata Epistola ad Quintum* (cujus verba Dissidentes nobis pariter objiciunt, proindeque hoc loco ea rejicere non poterunt, nempe): „ Neque „ enim quisquam nostrum Episcoporum se Episcopum con„ stituit „; nec non *Chrysostomus Epist. I. ad Summum Pontificem Innoc. I.*, & *S. Hieronymus advers. Joann. Hierosolymit. Episcopum*; ac tandem *Concil. Generale Nicænum I. Can.* 15. prohibens „ *Ne Episcopus a Civitate in Civitatem transiret* „.

(*Neque ex aliorum scribentium, Episcopos totius Ecclesiæ curam sustinere*). Memorantur item ab Dissidentibus nonnullæ auctoritates Patrum, qui dicunt, Episcopos totius Ecclesiæ curam sustinere. Ast Patrum istorum scopus est, quod Episcopi zelum, & charitatem suam non intra Diæcesis propriæ limites continere debeant, sed ad bonum totius Ecclesiæ, debitis ratione, & modis, extendere: Id autem Dissidentes contra Auctorum sensum trahunt ad

communionem potestatis Episcoporum cum Romano Pontifice, hoc est cum visibili Ecclesiæ Capite; tot Capita in Ecclesia statuentes, quot sunt Episcopi. Tale monstrum longissime abfuit a mente SS. Patrum, qui Ecclesiam censuerunt esse Corpus Christi, Capite, membrisque constans, & sicut Castrorum acies ordinatam. Hoc voluit *S. Ignatius M. Epistola ad Philadelphios*, qui Episcopum eorum se cognovisse scribit non per homines electum,, ut susciperet ,, ministerium hoc communis Ecclesiæ,, , *Communis* ait idest, *Philadelphiis Ecclesiæ*; non Catholicis omnibus, non Universalis Ecclesiæ: *Venantius* autem *a Tinisa Episcopus in Concil. Carthaginien. sub S.Cypriano* bene dixit, *Christum Episcopis commendasse Sponsam suam*, unicuique certe portione assignata quoad jurisdictionis exercitium, sed totam ab omnibus diligendam affectu, & charitatis æstu; laboribus, scriptionibus, virtutibus in commune commodum vitam instituendo; quoniam qui misericors est, & justus, virtutibusque clarus, ac pro veritate fidei patitur persecutionem, hic non intra se tantummodo hæc recte facta concludit, sed ad aliorum omnium utilitatem præclaros hos faciet effluere fontes. Idem intellectus *Epistolæ Encyclicæ de ortu Arianæ hæreseos S. Alexandri Patriarchæ Alexandrini*; *& Epist.*77. *S.Hormisdæ PP. ad Epiphanium Constantinopolitanum Episcopum*, cujus Summi Pontificis mens ex eo etiam fit manifestissima, quod eidem Episcopo Vicariam suam auctoritatem Apostolicam demandat, qua diversarum Ecclesiarum lapsos in communionem Catholicam posset recipere; non daturus eam equidem, si Constantinopolitanum Antistitem Pontificia pollere potestate censuisset. Neque aliud significant verba *Constitutionum Apostolicarum l.6. cap.*14., quod tamen Opus, *S. Clementis PP.* pseudo epigraphum est, erroribusque scatens; nec aliter intelligendæ sunt *Epist. ad Pontifices Gallicanos S. Eleutherio PP.* falso tributæ.

Sane zelus Domus Dei ille fuit, qui talia, ac tanta agere suasit *S. Athanasio*, ut de eo scribere licuerit *S. Gregorio Nazianzeno*, quod leges Orbi terrarum præscriberet; nam luculentissimos composuit libros ad doctrinam omnium, qui quodammodo leges dicuntur, ut communis fest usus lo-

quendi, sed leges stricto sensu non sunt; idque de Athanasio scribit *S.Basilius Magnus Epist.*52. illum compellans: „ Tantam geris curam omnium Ecclesiarum, quantam ejus, „ quæ tibi peculiariter a Domino commissa est „. Si autem instet quis dicens, *S.Athanasium ipsum* coegisse Concilium externorum Antistitum (ut videre est in *ejus Epist. ad Antiochenos*), quo facto ostenderet, potestatem suam protendi extra fines Alexandrinæ Diæceseos; iure hoc negamus. Enim vero ex Italia duo fuere in ea Synodo Episcopi, quia Lucifer Calaritanus, & Eusebius Vercellensis Summi Pontificis in Oriente Legati suos illuc misere Legatos, qui S. Doctori pro fide, & Ecclesia laboranti opem ferrent; nulli autem interfuere in Synodo ex Afris, nisi qui una cum Ægyptiis Alexandrinum Episcopum ut Patriarcham suum venerabantur: „ Nam hic mos est Episcoporum Alexandri„ norum, ut per totam Ægyptum, ac Thebaidem, Mareo„ tidem, Libyam, Ammoniacam, & Pentapolim, Ec„ clesiastica *negocia administrent* „ ait *S. Epiphanius hæres.* 68. Cum autem in ipsomet Concilio ventum est ad Auxentium Mediolanen. Episcopum, quoniam extra limites Alexandrinos Ecclesia ista consistebat, *ad S. Damasum PP.* misit *Athanasius* Epistolas, ut hominem illum Arianum, & in Sedem Mediolanen. intrusum Pontificia potestate exauctoraret.

(*Nec ex facto, & Epist. S.Epiphanii*). Ad hæc objiciunt *factum, & Epis.S.Epiphanii* qui MonachumMonasterii Bethleemitici Diaconum, & Presbyterum ordinavit inconsulto (non autem prohibente) Joanne Hierosolymorum Episcopo, qui hac de re graviter conquestus est. At vero ipse *S. Epiphanius*, qui charitate ductus hoc egit, testatur, quod Monasterium illud esset *Fratrum, & Fratrum Peregrinorum, qui Provinciæ nihil tuæ deberent*; quare nil attentavit Epiphanius in Provinciam Antistitis Hierosolymitani: Sacros autem Canones antiquissimos diligenter legenti facile occurret, Monachos a primæva sui institutione nativa immunitate ab Episcoporum potestate fuisse gavisos.

(*Neque etiam ex S.Gregorio Magno*). Neque vis ulla est, qua dogmati de Primatu jurisdictionis Summi Pontificis derogari contingat, in iis, quæ *S. Gregorius Magnus*

scripsit ad Mauritium Imperatorem Epist.32. lib.4. Indict.13., ubi Joannem Constantinopolitanum Patriarcham insectatur, quod se universalem Episcopum diceret, quod *blasphemiæ* nomen esse ait; *& Epist.36. ad Eulogium Alexandrinum, atque Anastasium Antiochenum Patriarchas*, in qua dicit, nullum Decessorum suorum *tam prophano vocabulo usum fuisse*. Siquidem verum est, neminem, nec Romanum Pontificem dici posse Episcopum universalem, h. e. *solum Ecclesiæ universæ Episcopum*, quod non opponitur Romani Pontificis Primatui, vi cujus universam Ecclesiam regat, servata Ecclesiæ Hierarchia, cujus supremæ dignitatis intuitu Episcopus universalis dici potest. „ (Viden. Epist. „ Innoc. III. PP., quæ incipit „ Apostolicæ Sedis „ ad Patri„ archam Constantinopolitanum lib. II. Epist. ejusdem „ num. 206.). Priori sensu nomen illud prophanum, & blasphemum Gregorius vocavit; at Primatum jurisdictionis Romano Pontifici convenire non negavit ille, sed dixit, quod *nullus unquam Decessorum suorum tam prophano vocabulo uti consensit*, hoc sensu, quo Patriarcharum ceterorum dignitas, & jura extinguantur: „ Quia videlicet (ait) si „ unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen „ ceteris derogatur „. Ac revera *ipse S. Pontifex mox laudata Epist.32.* subdit: „ Certe pro B. Petri Apostolorum Prin„ cipis honore, per venerandam Chalcedonensem Syno„ dum Romano Pontifici oblatum est. Sed nullus eorum „ *unquam hoc singularitatis nomen assumpsit* „. Numquid blasphemiæ nomen Romano Pontifici detulit Œcumenica illa Synodus? Hoc asserere temeritatis esset; agnovit ergo Synodus, nomen istud Romano Pontifici convenire, & nomen esse ei proprium, nec esse prophanum, sed pie usurpari posse in sensu, quem hic supra innuimus. Nihilo tamen minus Romani Pontifices S. Gregorii exempla imitati numquam Episcopos se Universales appellarunt; sed titulo *Servi Servorum Dei* gratulati sunt.

(*Vel ex Can. „ Primæ Sedis „ Distinct.99.*). Nullum facessit negocium *Canon „ Primæ Sedis „ Distinct.99.*, quo vetitum fuit, ne primæ Sedis Episcopus dicatur *Princeps Sacerdotum, vel Summus Sacerdos*, quoniam hic Canon laudatur, *ut textus Concilii Africani*. Nam manifestum est, Synodum

illam nullam habuisse in Romanos Pontifices, neque in alios extra Provinciam Episcopos potestatem; ac liquet per consequens perstrinxisse Africanos Metropolitas, qui se *Principes Sacerdotum*, *vel Summos Sacerdotes* insolito fastu inscribebant. Ast quoad Romanum Pontificem, ipse jam Tertulliani tempore vocabatur „ Episcopus Episcoporum, & Pon- „ tifex Maximus „ (*V. sup. Num. XLII. sub num.* 1.). Quod autem eidem Canoni additur „ ut nec Universalis Romanus „ Pontifex appelletur „ hæc verba sunt Gratiani, minime autem illius Synodi, quæ nullo modo insolenter adeo insurrexisset in Summos Pontifices (quibus subjecta erat), ut vellet in eos legem ferre, ipsisque imperare.

(*Non opponitur jurisdictioni universali Romani Pontificis, quod nequeat universos sacros Canones abrogare*). Quoniam vero numquam dicendi finem faciunt, & undequaque quærunt quo se vertant qui nobis adversantur; probare satagunt, non posse Romanum Pontificem universos Canones abrogare; ex quo arguunt, non frui Jure, ac potestate universalis Primatus. Videat quisquis recte judicat; an ex præmissa propositione sequatur quod Primatus jurisdictionis dignitate non gaudeat Apostolica Sedes? Multa complectuntur sacri Canones non solum quæ ad fidem spectant, sed etiam quæ jure naturali, vel Divino prohibentur, vel præcipiuntur. Quis igitur assertor Pontificii Primatus dixit umquam, tantam vim in eo esse, ut Statuta, quæ pertinent ad fidem, jus naturale, atque Divinum convellere, aut adversus ea dispensando agere possit Romanus Pontifex? „ Dicendum (ait Angelicus Doctor quodlib.4. art. 13.) „ quod Papa habet plenitudinem potestatis in Ecclesia, ita „ scilicet, quod quæcumque sunt instituta per Ecclesiam, „ vel Ecclesiæ Prælatos, sunt dispensabilia a Papa, hæc „ enim sunt, quæ dicuntur esse juris humani, vel positi- „ vi. Circa ea vero, quæ sunt Juris Divini, vel naturalis „ dispensare non potest, quia ista habent efficaciam ex in- „ stitutione Divina „. Ceterum quoad ea etiam, quæ ab eo sunt dispensabilia, horum observantiam urgent quotidie Summi Pontifices, nec dispensant umquam, nisi pietate, vel necessitate, aut utilitate suadentibus: Dispensationum autem hujuscemodi ab eis concessarum innumera sunt exem-

pla; & undique nota sunt Ecclesiasticæ Historiæ monumenta. Optime autem inter se hæc conjunguntur; scilicet plenitudo potestatis Romani Pontificis in universam Ecclesiam, ac defectus auctoritatis relaxandi ea, quæ sunt fidei Divinæ, Divini juris, aut naturalis; usus insuper Apostolicæ Sedis non dispensandi in Ecclesiasticis legibus, nisi ex causa pietatis, seu utilitatis, vel necessitatis. Supremus equidem Princeps sæcularis nequit agere adversus Jus Divinum, aut naturale, nec debet abrogare leges nisi ex gravi, & justa causa. „ In rebus novis constituendis evidens esse utili-„ tas debet, ut recedatur ab eo Jure, quod diu æquum vi-„ sum est „ *L. 3. de Constit. Princip.* Numquid ex iis consequens est, Principem summum, Imperatorem, Regem in Terris suis cum potestate non esse quoad sæcularia supremum?

LI. (*Allocutio cohortatoria*). Discussa est objectionum caligo. Utinam finiatur error! Allatis tot credibilitatis argumentis usque ad triumphum; quid restat adhuc, nisi Vos, o Dissidentes, seu Græci, seu alii quicumque estis, iterum alloqui, & obsecrare, & post propositam a nobis eam Lucernam, quæ lucet in caliginoso loco, quæque una Catholica Romana Ecclesia est, ad voluntatis etiam vestrum consensum obtinendum aliquid vel breviter dicere.

Si aliqua dignitate fungerer, vel nobilitate, aut splendoris in oculis hominum gauderem insigniis, illa mihi aliqua ratione accomodarem verba, quibus *Imperator Græcorum Basilius Macedo* elegantissima oratione ad pœnitentiam hortatus est Schismaticos Antistites, qui erant a parte Photii, *Actione VI. Concilii Generalis VIII. Constantinopolitani IV.*: „ Vos quoque, qui curatione indigetis, pretiosa „ membra Christi; etsi nescio quomodo a malo dæmone „ detenti, a Capite separati estis: Vitis vera, quæ propter „ contentionem importunam, imo vero injustam, in ama-„ ritudinem conversa es: Amici, & proximi nostri; etsi „ propter odium irrationabile exadverso appropiantes, & „ stantes, ac unitatem respuentes; suscipite admonitio-„ nis sermonem; non autem confundor dicere, etiam

„ deprecationis . In id enim nos adduxit misericordia , „ quam circa vos habemus . Scrutamini intima con„ scientiæ vestræ , & invenietis , vos male ab Ecclesia „ esse disjunctos. Novissima hora est , & Judex præ fo„ ribus est , Fratres , ne præoccupemur ab ejus Eccle„ sia sequestrati , & longe ab ejus gloria projiciamur . „ Nihil turpe ducamus vulnus ostendere , ac locum pœ„ nitentiæ , ac medicinæ requirere , ne confusionem obe„ dientiam arbitrando , confusionis æternæ sumamus ex„ perimentum . Qualis autem est confusio, Fratres , pro„ cidere Deo , & veniam expetere ? Deo enim proci„ dunt , qui Ecclesiæ , & spiritualibus istis Patribus pro„ cidunt „ (idem dicito de Romano Pontifice) „ . . . . „ Si autem omnino hoc confusionem arbitramini ; ego „ forma vobis efficiar hujus optimæ humilitatis . Ego „ primus me super pavimentum projicio , purpuram , & „ diadema parvipendens . Ne vereamini pedibus calcare „ Verticem , cui superimponitur a Deo corona . Omnia „ pati promptum habeo , & promptius agere , quæ Vo„ bis quidem confusionem , mihi autem gloriam , & ma„ ximam claritatem conferre videantur . Neque enim in „ hoc curam gero gloriæ meæ , tantum ut videam com„ munionem , unitatem , & unam Ecclesiæ festivita„ tatem „ .

Verumtamen ex hac Augusti Basilii oratione , iis unice usurpatis ex animo , quæ mihi humili convenire possunt , ad S. Hieronymum convertens me , supplex rogo splendididissimum Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Doctorem , ut (licet mihi ob multa peccata mea non aliud conveniat , quam tamquam purgamenta hujus Mundi , & omnium peripsema fieri , & censeri) , sinat misericorditer , me aptare mihi ea , quæ sua sunt , scripsitque *ad S. Damasum PP. Epist.* 57. „ Quoniam vetusto Oriens „ inter se populorum furore collisus , indiscissam Domi„ ni tunicam & desuper textam , minutatim per frusta „ discerpit ; & Christi vineam exterminant vulpes : ut „ inter lacus contritos , qui aquam non habent , diffi„ cile , ubi fons signatus , et hortus ille conclusus sit ,

„ possit intelligi : Ideo mihi Cathedram Petri, & fidem „ Apostolico ore laudatam censui consulendam : inde „ nunc anima mea postulans cibum , unde olim Chri- „ sti vestimenta suscepi . Profligato a sobole mala pa- „ trimonio apud Vos Solos (o Romani Pontifices) in- „ corrupta Patrum servatur hæreditas . Ibi cæspite ter- „ ræ fœcundo Dominici seminis puritatem centeno fru- „ ctu refert . . . . Nunc in Occidente Sol justi- „ tiæ oritur: in Oriente autem Lucifer ille, qui cecide- „ rat , supra sydera posuit thronum suum . Vos estis „ lux mundi , vos sal terræ ; vos vasa aurea, & argen- „ tea ; hic (nempe in Oriente) testacea vasa, vel li- „ gnea, virgam ferream , & æternum operiuntur incen- „ dium . . . . Ego nullum primum , nisi Chri- „ stum sequens, Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri, „ communione consocior : super illam Petram ædifica- „ tam Ecclesiam scio. . . . . . . Quicumque extra hanc „ domum Agnum comederit, prophanus est. Si quis in „ Arca Noe non fuerit , peribit diluvio . . . . . . Qui- „ cumque tecum non colligit , spargit ; hoc est, qui „ Christi non est, Antichristi est „. Sane „ Omnis qui „ recedit , & non permanet in doctrina Christi , Deum „ non habet , qui permanet in doctrina , hic Patrem, „ & Filium habet „ (*S. Joann. Epist. 2. v. 9.*) . Oh, quam malum, & amarum est non habere Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum , augustissimam , & individuam Trinitatem ! Oh quam pretiosum , & dulce Ipsi inhærere per fidem rectam , per spem firmam , per charitatem perfectam !

(*Oratio*) . „ Obsecro , Domine Deus , magne , & „ terribilis , custodiens pactum , & misericordiam diligentibus Te, & custodientibus mandata tua . . . . . . „ Domine nobis confusio faciei . . . . Tibi autem „ Domino Deo nostro misericordia , & propitiatio , „ quia recessimus a Te . . . . . . Domine in omnem „ justitiam tuam : avertatur obsecro ira tua, & furor „ tuus a Civitate tua Jerusalem . . . . Nunc ergo „ exaudi Deus noster orationem servi tui , & preces

„ ejus, & ostende faciem tuam super Sanctuarium tuum, „ quod desertum est, propter Temetipsum . . . . . Neque enim in justificationibus nostris posternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis „. *Daniel.* 9. *v.* 4. *seqq.* Domine Deus, aperi oculos cæcorum, ne ulterius obdomiant in morte; illustra faciem tuam super illos, & salvos fac eos; neque despicias, quoniam opera sunt manuum tuarum.

FINIS

ROMÆ MDCCCVII.

Typis Lazzarini Rev. Cam. Apost. Typographi
Superiorum Facultate

ERRATA CORRIGE

Pag.	*lin.*	ERRATA	CORRIGE
6	26	accepra	accepta
9	31	conjungium	conjugium
15	36	evaasit	erasit
43	2	super quam	super quem
47	25	precessit	præcessit
48	32	excerpas	excerptas
61	15	lucenti	lucenti
65	21	Iræneum	Irenæum
68	4	Apolica	Apostolica
94	16	interpretati	interpretari
104	25	quæ certa	quæ certe
106	38	(S. Sophronii	30. (S. Sophronii
131	11	ad se	ab se
135	7	protestas	potestas
ibid.	38	Supermi	Supremi